REI POENITENTIS
SIMPLEX ET HVMILIS
CONFESSIO.

Cum Sermone
DE S. AVGVSTINO.



COLONIÆ VBIORVM,
Apud IODOCVM KALCOVIVM
& Socios, CIƆ IƆ CXLV.

Imprimatur piiſſima hæc, peccatoribuſque exemplum optimum præbens, & ſtimulos addens penetrantiſſimos, Confeſſio. Coloniæ, menſe Iulio CIϽ IϽ C XLV.

Henricus Francken Sierſtorpffius, SS. Theolog. Doctor, &c. librorum Cenſor.

REI POENITENTIS
SIMPLEX ET HVMILIS
CONFESSIO.

Iuſtus in principio accuſator eſt ſui.
Dic tu peccata tua, ut juſtificeris.

CAP. I.

QVoniam, ætatis ſpacio jam pene decurſo, vitæ metam adſpicio, &, quod magis refert, metuendi tui judicii diem prope eſſe intelligo; quo ex judicio, ſi ſummo jure nobiscum agatur, ſalus nulla ſervare nos poſſit: optimum factu eſſe arbitror, præoccupare faciem tuam in confeſſione, Domine Deus, juſte judex ac fortis, & recogitare tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Qui quidem anni (flens dico) omnes tranſacti ſunt à me fœde, nequiter, inutiliter, & contra legem tuam. Sed pudet me proloqui, pudet me coram hominibus nefanda mea detegere: at præſtat, hic paululum erubeſcere, quam in extremo judicio fieri in contumeliam & in ſibilum ſempiternum. longe melius eſt, hic contra ſe ipſum cauſam dicere, quam ad tribunal tuum rapi, ſeveriſſime judicandum. nam, ſi noſmet ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur: dum judicamur autem à te, corripimur, ut non cũ hoc mundo damnemur.

CAP. II.

EGo igitur jam inde ab uberibus matris meæ improbus, ſemper Spiritui Sancto reſtiti, ſemper vitioſis meis propenſionibus me conſtringendum trahendumque permiſi. Neq; viguerunt apud me ſtudia pecuniæ, neque flagravit ambitio;ſed æſtuavit ardor concupiſcentiæ. Meus enim propenſus ad amandum animus, adoleſcentiam, atque etiam juventutem meam, variis fere ſemper amoribus, tanquam crucibus, exercitam habuit. Verum, huic meæ naturali propenſioni, tanquam moles atque munitio, obſtabat naturalis quidam metus ac pudor; præterea timor tui: qui tamen timor, ubi pudor ac metus aliorum non prohibebat, ſæpius à libidine mea ſuperabatur, ac faceſſere jubebatur. Sed prorſus fugerat à me ratio, fugerat mens atque conſilium. nam, ſi quis metus obſtare debebat cupiditati meæ, quem potius timerem quam te, verende, metuende, tremende, formidande; qui potes occidere corpus, &, poſtquam illud occideris, mittere animam in gehennam?

CAP. III.

VErum, naturalis illa timiditas, ſive tuum donum ſive naturæ vitium, id ſecum boni afferebat, ut libidini, geſtienti foras erumpere, raro, vel nunquã,ad exeundum, aditum daret. Nam tum adoleſcentem, tum juvenem, ab aliquibus ultro expetitum, ab aliquibus vero vultu ac voce ad audendum impulſum, tantus repente timoris rigor invadebat, ut omnem libi-

di-

dinis ardorem opprimeret. Quoties, amore cujuſpiam captus, cum redamarer, gelido quodam timore perfuſus, ab amore deſerebar! quoties, peccandi facultatem nactus, ob hunc eundem timorem, velut lapis, obrigebam, neque eadem utebar! Quo fiebat, ut à multis ſtolidus ac ſine ſenſu eſſe dicerer, qui occaſiones tam pulchras, mihi in ſinum delatas, non opprimerem, à multis etiam ruſticus & inurbanus haberer, qui tam egregias aliorum in me voluntates repudiarem atq; contemnerem. Itaque partim lubibrio, parti modio erã. Verum, id mihi ſecundum magnam miſericordiam tuam eveniſſe confiteor. niſi enim mihi iſtud tanquam frenum eſſet injectum, nullum eſt flagitium tantum, in quo non fuiſſet pervagata miſerabilis anima mea.

CAP. IV.

AD has miſerationes tuas acceſſit aliud beneficium, in primis egregium; quod extrema pueritia, atque adeo ipſa ineunte adoleſcentia, me invito, te autem cogente, me repugnante, te vim faciente, receptus ſum in Sodalitatem B. Mariæ Virginis, matris tuæ. quamobrem & neceſſitas ſæpe confitendi peccata mea, & moderatorum magiſtrorumque diligentia, quorum oculis, acutius quam vellem, meam vitam obſervari videbam, efficiebant, ut mihi, non modo communi voluntate virtutis, ſed etiam quadam magis neceſſaria ratione, recte eſſet honeſteque vivendum. Verum, tanta hæc tamque munita præſidia, ſatis ab externis furibus caſtitatem meam muniverant; ſed adverſus domeſticos prædones non

fuerunt tuta. Etenim meus ille perpetuus hostis, cui nihil erat molestius, quam me, in corpore mortali & corruptibili, vitam imitari Angelorum, per eos, quibus cum mihi erat vivendum, castitati meæ insidias locavit. Itaque tacitis eorum illecebris, tanquam cuniculis actis, primum, mihi timorem ex animo ejecit; tum, pudorem evertit; postremo, hoc tanquam vallo nudatam castitatem meam, rapacissimis furibus miserabiliter diripiendam ac deprædandam reliquit. Obsecro per viscera misericordiæ tuæ; delicta juventutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris Domine.

CAP. V.

INterea animus, ex ingenito quodam virtutis amore, ægre, à te se esse sejunctum, ferens, totus sibi displicebat. Augebatur dolor meus ex eo, quod non tantam in voluptatibus suavitatem offenderam, quantam cogitatione præsumpseram. Itaque, ut sunt puerorum & adolescentium subita ac repentina consilia, die quadam, quasi id, quod erraveram, corrigere volens, positis humi genibus, ante imaginem genitricis tuæ, te puerum ac lactentem in sinu gestantis, perpetuam animi & corporis castitatem, multis tibi cum lacrimis vovi. Sed, quod pollicitationem illam, non confirmatum consilium, sed subitus impetus & inconsideratus expresserit, eventus ostendit. nam paucis diebus post, castitatem, quam sartam tectam tibi servare promiseram, vicinia atq; adeo domo ipsa mea peccandi materiam suppeditante, magna labe affeci.

CAP. VI.

FLuctuabat, tanquam mare fervens, animus meus. Excitabat concupiſcentia carnis magnos libidinum fluctus: ſed repellebat eos pudor ac metus. qui, tametſi domi jaceret, foris excitabatur, & ſtans, pro caſtitate pugnabat. Impellebat me multiplex occaſionum flatus, in varios flagitiorum ſcopulos; ſed rejiciebat inde initium ſapientiæ, timor tuus, Domine. demulcebant ſenſus, velut Sirenæ, voluptatum illecebræ; ſed excruciabat animum conſcientia ſtimulis, tanquam tædis ardentibus.

CAP. VII.

SEd tandē tot tantiſq; occaſionibus peccandi ſubterducta eſt à te infirmitas mea; tandem ſcandala illa, mihi ante pedes poſita, à te miſerante ſubtracta; quo ſine offenſione viam mandatorum tuorum currerem. Nam patre meo, viro optimo, paucorum dierum morbo, mihi ſublato, quicum una familiæ noſtræ ſpes & ornamenta omnia interiere, caruit etiam domus noſtra iis lenociniis, quibus ætatula mea corrumpebatur. Non intellexi ſtatim, quantum & quam lethale vulnus tu Deus ultionum dominus, ob peccata & ſcelera mea mihi iratus inflixiſſes: intellexi aliquot annos poſt, ad ea damna reſpiciens, quæ res familiaris noſtra contraxerat; intellexi, inquam, eas calamitates recolens, quæ familiæ noſtræ opes exiſtimationemque pene contriverant. Effloreſcebat ad honores & divitias pater meus; cujus omnes labores, ſtudia, & cogitationes, præſertim ad utilitatem meam & decus referebantur: ſed cecidit omnis ſpes ejus, ſi-

cut flos agri; exſiccatus eſt flos; & cum eo una fructus, qui de me ſperabatur, exaruit. etenim, hac ope auxilioque deſtitutus, in omnes inanes & ſtultas cogitationes evanui.

CAP. VIII.

ET ſane, quid boni de me darem, mei juris effectus, ſine rectore, ſine duce, adoleſcens, ac pronus ad malum? Ille mihi erat auctor & impulſor ad laudem; ille verum demonſtrabat iter ad gloriam; ille exquiſitos tota urbe ingenuarum artium magiſtros adducebat; ille, quæ in me pullulabant naturæ vitia, conabatur evellere; nam ingens ac ſuperſtitioſum exornandi corporis excolendæque formæ ſtudium, quo tum flagrabam, vulgaribus pene veſtibus præbendis, compeſcebat: quod ſtudium partim mea mihi natura, mundiciarum amatrix, excitaverat, partim virginum quarundam, quibuſcum eram, conſilia auxerant; quæ, ut mos eſt mulierum, in eo poſita eſſe omnia exiſtimantes, illud vehementer inflammabant. præterea, eos ſpiritus, quos tum fervor ætatis, tum inſana quædam ambitio commovebat, qua victu, veſtitu, ac ceteris in rebus, ſummis viris par eſſe cupiebam, comprimebat, ac meo me modulo ac pede metiri docebat. ille vanitates & inſanias falſas, quas conceperam ex poëtarum lectione, quos in manibus ſemper habebam, ejiciendas ſanandaſque curabat. Quantum miſeræ animæ meæ damnum hæc tam pernicioſa poëtarum ſtudia dedere! quantam puritati meæ labem intulere! Vt non immerito hos, tam impuros vitæ magiſtros, ex ſua commenticia civitate Plato dejecerit.

CAP.

CAP. IX.

PEr idem tempus, tu Domine Deus meus, misertus adoleſcentiæ meæ, periculoſo libidinum morbo æſtuantis, ſuſcepiſti eam in lenitate curandam. Nam cum in Gymnaſio Societatis Ieſu Symphoroſa tragœdia danda eſſet, tu perfeciſti, me nihil ejuſmodi cogitante, ut in eo primæ mihi partes demandarentur, Symphoroſæ nimirum partes, eaſque agerem non ſine plauſu. quæ actio, non eſt credibile, quanta mihi pepererit bona. primum, Sanctorum tuorum exemplo oſtendit, te vita ipſa cariorem eſſe habendum. deinde, tantum martyris tuæ clariſſimæ, cujus antea ne nomen quidem audieram, amorem ſtudiumque ingenuit, ut, in omne poſterum meæ vitæ tempus, eam mihi dominam ac patronam adoptaverim: neque ab eo tempore, uſque ad hoc tempus, ullus fere dies præteriit, quo die, certis quibuſdam precibus, ejus me tutelæ patrocinioque non commendarim, poſtremo meis partibus agendis eam vocis ſuavitatem, eam in ſententiis exprimendis vim, eum oculorum obtutum, eam vultus moderationem, eam in geſtu venuſtatem, te tribuente, ſum viſus habere, ut his rebus commoti complures viri ſanctiſſimi, ad vitæ ſpiritualis viam ſtrenue ineundam ſe mihi ultro duces ac magiſtros fore pollicerentur. Et ego, quod deferebant, lubens accepi, meque totum eiſdem in diſciplinam tradidi.

CAP. X.

NOn eſt explicabile, quanta, ſapientiſſimis virorum optimorum præceptis, morum commutatio in me contigerit. Namq; ex elato ac tumido, jam demiſſus atq; humilis, ex iracundo mitis, ex cupido moderatus videbar eſſe: cœperam odio habere, quæ antea diligebam; & amare, quæ oderam. Tum primum omnes res humanas, intrinſecus quales eſſent, aſpexi, & ſuis eas preciis æſtimare didici. Nam, quæ mihi pro certis atque perpetuis ſe venditabant, tanquam fluxas atque caducas cœpi contemnere, ac pro nihilo ducere. Tum quoque ſenſi, quam miſerum & amarum eſſet, poſt cupiditates ſuas incedere, & carnis deſideria perficere; ex contrario, quam ſuave atque jucundum, te ſummum bonum & incommutabile perſequi. Diſcedebam à menſa dulciſſimi corporis tui, non ut antea, inanis atque famelicus, ſed ſaginatus ac refertus ſpirituali dulcedine. quæ mihi adeo rerum carnalium guſtum ademerat, ut ſolus earum aſpectus ſtomachum excuteret. Tum primum intellexi, quid eſſet, ſpiritu ambulare; quod antea aberat à cognitione mea longiſſime.

CAP. XI.

QVamobrem nihil propius eſt factum, quam ut, ſpretis ac repudiatis rebus omnibus, cuipiā religioſorum hominum familiæ nomē darē; neq; deerant, qui me ad id hortarentur atq; impellerent: ſed continuit me tum ætas matris meæ, tum res noſtra familiaris, indiligentia fratris mei ad extremum fere caſum adducta; quæ ſi meo etiam auxilio deſtituta jaceret, ad interne-

necionem usque deleretur. Sed in primis revocavit me ab hac cogitatione natura mea subtristis, ad solitudinem, quam ad societatem, aptior. Etenim videbam, quod si id, quod cogitabam, perfecissem, diu me in communione non permansurum, ac propterea magnam inconstantis animi notam subiturum. Sed non erat earum rationum vis tanta, ut arctioris vitæ suscipiendæ cogitationem meo ab animo prorsus everteret. nam multa se objiciebant, quæ earum impetum fortiter exciperent atque repellerent: nimirum, æternæ salutis in tuto collocandæ ratio; pericula, quibus undique referta est communis hominum vita; lubricæ seculi viæ; & in his tot hominum, doctrina, sapientia & sanctitate præstantium, horribiles casus; & alia id genus multa. Itaque, ex hoc contrariarum inter se cogitationum conflictu, ea in me perturbatio commota est, ut prorsus omnis ab animo quies, & ab oculis somnus excesserit.

CAP. XII.

MVltis, non solum diebus, verum etiã mensibus, inter diversas ejusmodi cogitationes pugnatum est acriter vehementerque: sed demum versæ sunt in fugam rationes eæ, quæ mihi arctiorem vitam persuadebant; ac propositum, in seculo permanendi, certaminis victor excessit. Vnde pax animo rediit; si ea vocanda est pax, quæ cũ vitiis & concupiscentiis habetur, & non potius turpissimæ pactio servitutis. Nam, quo tolleretur omnis illa superioris tristitia cogitationis, tradidi me hilaritati ludoq;, vel potius, novis occasionibus succedentibus, constringendum libidinibus dedi. Ab ea

die, humani generis hoſtis, quoties de corrigenda vita deliberabam, immittebat in animum aliquam moleſtam cogitationem; cujus depellendæ cauſa, cum deberem confugere ad te, dulcedinem veram, voluptatem ſanctam, ſuavitatem certam, hilaritatem ſummam, pacem ſecuram, Deum totius conſolationis; à lethalibus mundi oblectamentis, adverſus ægritudinem, auxilia petebam. Sed, quemadmodum æger, morbo gravis, quum æſtu febrique jactatur, ſi aquam egelidam biberit, prius relevari videtur, deinde multo gravius vehementiuſque afflictatur; ſic ego, voluptatum ope paululum, ut videbar, ſublevatus, cum ab eiſdem deſerebar, opprimi me ab ægritudine acerbius intolerantiuſq; ſentiebam. nam ad ſuperiores mœrendi cauſas, accedebat etiam dolor ille longe graviſſimus ex offenſis, tibi, Deo meo optimo amantiſſimoque, illatis. Hoc artificio habebat me peſſimus ille totum in poteſtate; & verſabat, quocunque volebat.

CAP. XIII.

VErum, non es paſſus, me, diutius per abrupta cupiditatum mearum raptum, in varias libidinum ſalebras & ſaxa compelli; ſed, frenis injectis, inhibuiſti impetum meum; &, quia pertinacia peccandi, nullum jam lenibus ac jucundis curationibus locum reliqueram, aſperioribus remediis audaciā meam coërcendam eſſe duxiſti. Quocirca, longo periculoſoque percuſſum morbo, octo plane menſes affixum lecto detinuiſti. Quid mihi, tum miſero, tua illa ſalubri paternaq; caſtigatione admonito, faciendum fuit prius, quam ut totas

tibi

tibi manus darem, atque ut imperio tuo has duras cervices meas inflecterem? Peccandi consuetudo, quantam vim habes! Animadvertebam, flagella illa ab iracundia tua prodire; neq; eam per pœnitentiam placare studebam. Noveram, vindicari abs te peccata mea; neque ea per confessionem removere properabam. Peccati pœnam deprecabar; peccandi voluntatem non deserebam. Corpus à morbo sanari cupiebam; &, animam ad æternum interitum dari, non laborabam. Nam, cum jam morbus fieret amplior, atq; ipsemet intelligerem, quod abessem propius à morte, (hei mihi, horret animus meminisse,) malebam sine pœnitentia ex hac vita discedere, quam cuipiam ex Sacerdotibus, qui tum præsentes aderant, & à quibus frequenter invisebar, peccata mea detegere. Neque in tanta sacerdotum amicorum copia, mihi esse liberum putabam, alium, cui ego notus non essem, ad me vocare; quod verebar, ne aliquam, vitæ minus temperanter actæ, iis suspicionem injicerem, apud quos probitatis laude vigebam. Quamobrem, ne falso collectam existimationem amitterem, veram apud te infamiam ac dedecus subire nō recusabam.

CAP. XIV.

CVm igitur per hanc rationem existimationi meæ prospicerem, saluti animæ meæ pessime consulebam. cum mea flagitia paucorum notitiæ subtraherem, omnium Angelorum atque hominum oculis acrius vehementiusque defigebam. In quo mirari mihi vehementer contigit singularem, tum familiarium, tum amicorum, negligentiam. Tantusne eos

ſtupor oppreſſerat, ut mihi, ad extremum vitæ caſum adducto, nemo auderet in memoriam reducere, ut expiarem animum pœnitentia, meq; precioſiſſimi corporis tui viatico ad tam periculoſum iter ornarem! At innocens ab iis, quamvis falſo, exiſtimabar. Concedo. at illud etiam venire hominibus peritis debebat in mentem, quod nemo mundus eſt à ſorde, ne infans quidem, cujus unius diei vita eſt ſuper terram. Quid tum merebar miſer, niſi ut eo ruere ſineres, quo me præcipitem dabam; videlicet in profundum barathri, in miſeriam ſempiternam?

CAP. XV.

TV vero, Deus miſericordiarum dominus, qui, cum maxime iratus fueris, miſericordiæ recordaris, non es paſſus, non ſiviſti; ſed, quoniam verberibus nihil profeciſſes, tentaſti, num ad promerendam tibi voluntatem meam beneficia plus poſſent: ac ſtatim me in priſtinum bonæ valetudinis locum revocaſti. Neque res aliter cecidit. nam periculi, quod evaſeram, magnitudinem in ocio reputans, plane vehementer exhorrui; neque ita multo poſt nactus ſacerdotem ex animi mei ſententia, dixi: Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

CAP. XVI.

REvocatus igitur in curſum, dabam operam, quantum infirmitas mea patiebatur, ut neque declinarem ad dexteram, neque ad ſiniſtram; &, ſi quando, vel ætatis fervore, vel

vel aliqua alia vi abreptus, quo minime licebat, abstraherer, ut per pœnitentiam ad te reverterer. Tu vero, benignus ac misericors, ad condicionem fragilitatis humanæ respiciens, cor contritum & humiliatum non despiciebas. Reddideras etiam oculis animæ meæ lumen, ut viderent, quam bonum, & quam jucundum esset, servire tibi in sanctitate & justitia, tuisque obedire mandatis. Quo fiebat, ut denuo meditari inciperem, quemadmodum omnes cum rebus fluxis & caducis societatem dirimerem, ac perpetuũ tecum fœdus inirem, neque tamen religiosæ cujuspiam familiæ legibus adstrictus ut antea meditabar, sed, nullius sub imperio ac potestate, domi meæ, solutus ac liber.

CAP. XVII.

VErum, hæc serio meditantem meus hostis invisibilis, qui intelligeret, se potissimum hac deliberatione feriri, atque omnes ipsius machinas labefactari atq; prosterni; elatus iracundia, perturbare ac miscere omnia cœpit, & ita ferox instare, ut, nisi me de sententia everso, non conquieverit: atque, ad me pervertendum, novam ab inferis excitavit Erinnyn; nimirum mulierem nequissimam, quæ aspiciendo, illiciendo, blandiendo, tantum mihi conflavit ardoris, ut, sine ulla dubitatione, furere omnibus & insanire viderer. ac persuasit mihi ferus, nullam esse homini voluptatem majorem, quam quæ mutuo ex amore percipitur. atque ita alte hanc mihi in animo sententiam infixit, ut ego ad ineptias usque delaberer, eatenus, ut Adonidis ac Paridis

me simillimum non esse dolerem: quibus propter formam, quemadmodum est in fabulis, contigit, ut misere amarentur. Sed torquebat in primis, ac supra quam dici aut credi potest dilacerabat & cruentabat cor meum obtrectatio crudelis & atrox, quæ etiam zelotypia dicitur; nimirum ægritudo ex eo, quod alter quoq; potiretur eo, quod ipse concupiscerem. Quam id me male urebat! quantum mihi, in æmulum meum, odium concitabat, quod ne morte quidem ipsius placari posset! si quidem, sicut scriptum est in Canticis canticorum, fortis est ut mors dilectio; dura ut infernus æmulatio.

CAP. XVIII.

O Insensatum ac stolidum! quis me fascinaverat, ut, relicta veritate, ad fabulas converterer? quis palatum animæ meæ ita perverterat, ut solum illi dulcesceret, quod de fœtida limosaque carnis concupiscentia prodiret? quis me ita immutaverat, ut fœdum, impurum, iris ac suspectionibus refertum amorem, pura, jucunda, secura, tibique soli debita dilectione mutarem? Si fieri mihi mutuum vellem in amore, quem potius, quam te, amarem, qui diligis diligentes te, qui amare prior occupas, qui non immutaris, qui temere ab amicitia non abis? Si expeterem, qui ultro se mihi dederet, quem potius quā te eligerem, quia amore amoris mei langues, qui dies noctesque, capillis rore conspersis, & cincinnulis guttis noctium plenis, excubas ad ostium cordis mei, & pulsas, & amatoriis illis verbis clamas, Aperi mihi, aperi mihi, soror mea, & sponsa, formosa mea, columba mea?

CAP XIX.

SIc ego, Domine, fornicabar abs te, atque ibam de amore in amorem, hoc eſt, de præcipitio in præcipitium, de abyſſo in abyſſum. Nam, quoties acrius vehementiuſque curis ac ſolicitudinibus opprimerer, quas amor habet adjunctas, ad eas propulſandas præclarum mihi hoc remedium comparaveram. Novo quodam amore veterem amorem, tanquam clavum clavo, ejiciendum depellendumque curabam. Quocirca nulla erat fovea, quo non irrumperem; nullus laqueus, quo non induerer; nullum lutum, quo non immergerer, interdum etiam, ira aut libidine ſtimulante, circuibam civitatem; impudicarum domos, tanquam lanienas & cauponias, obibam ut canis: denique, non minus quam filius ille effuſus ac contumax, cupiebam ſaturari ſiliquis porcorum; nec poteram.

CAP. XX.

QVid ergo erat reliquum, niſi ut ires ad ea, quibus, maxime apud me, te valere ſentiebas? videlicet ad verbera atque flagella. Humilis nimirum animus ac ſervilis, niſi malo coactus, recte facere neſcit. Sed, quo me gravius affligeres, percuſſiſti matrem meam; vel potius percuſſiſti me in matre mea dulciſſima. Nam tu ſcis, Domine, quam ea fuerit cordi meo cara; cujus vitam vita mea redemiſſem; longe enim erat æquius, illam vivere, quæ, jejuniis & orationibus tibi dedita, legem tuam cuſtodiebat, quam me, qui nullam fere

horam vacuam flagitio abire finebam. Attamen erepta eſt à te mihi, ploranti, clamanti, ac fidem tuam imploranti, ac multa & magna promittenti, ſi ab eo morbo periculoque ereptam eam mihi incolumem præſtitiſſes. Sed tu non audiebas; irridebas etiam promiſſa mea, quæ omnia leves quæcunque auræ difflaturæ eſſent. Quos ea mihi luctus moriens, quos gemitus peperit! Erant mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte: nec poteram inducere animum, ea carere, qua retenta facile ceteris rebus carebam. Quoties mane ac veſperi domum redibam, quoties prandium vel cœnam inibam, quoties cubiculum ingrediebar, attollebant ſe oculi, ex dolore demiſſi, velut expectantes eam aſpicere: ſed, expectatione ſua decepti, ſe iterum demittebant, atque erumpebant in amariſſimos fletus; neque erat ullus lacrimarum modus nec finis.

CAP. XXI.

SEd hunc tantum tamque acerbum dolorem dies ipſa primum lenivit, tum ab animo prorſus abſterſit, & cum eo etiam promiſſa, quæ tibi feceram: & ego protinus ad ingenium redii. Quænam eſt iſta peſſimi atque duriſſimi cordis mei condicio, quæ pertinacia, quæque perverſitas? non ignorabam, ob peccata mea eam à te mihi plagam inflictam; perſonuerant cordis mei aures tuis illis vocibus, Noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat: multa etiam me facturum promiſeram: ſed vix à me flagellum removiſti, cum in eandem vitam revolutus ſum denuo. O meum cor durum, quod amore non flectitur; ingratum,

quod

quod beneficio non vincitur; adamantinum, quod percussum non frangitur; indocile, quod admonitionibus non eruditur; humile & abjectum, quod sine verberibus non commovetur!

CAP. XXII.

ITaque, exsurgens in ira tua, gladium exeruisti, arcum parasti, sagittas emisisti, ac duplici me deinceps vulnere consauciasti; uno in corpore, altero, multo acerbiori, in animo. Nam primo, cervix isthæc mea durissima, quæ tibi inflecti nequibat, sanie illuc ex capite defluente intumuit: tum, ex loci propinquitate, adeo inflatæ sunt fauces meæ, ut libera respirandi facultas non esset, nec, concluso jam pene ostio, aliquid fere cibi vel potionis illabi in stomachum posset. atque hæc erat medicorum sententia, ut, si vel pauxillulum ad id loci fluxionis accessisset, continuo præfocatus exstinguerer. Sed tu vere Dominus es, qui vulneras & mederis, percutis & manus tuæ sanabunt. Rem miram; præter omnium expectationem sanies illa, via sibi intra fauces facta, foras erupit: qua eruptione, ingens colli ac faucium tumor desedit. Itaque, primum interclusus spiritus meare laxius cœpit, tum libere sicut antea ferri; atque eadem hora, collabentes jam vires, cibo ac potione suffulsi. &, quanquam saniei vis illa, cui ad exeundum aditus alii duo aperiendi fuere, aliquot mihi mensium negocium exhibuerit, attamen opinione celerius multo convalui.

CAP.

CAP. XXIII.

QVam magna est multitudo misericordiæ tuæ, Domine! quam ingens vis bonitatis! Nam, si me miserum, tot criminibus evictum, ac non me pœnitentem, de corpore mortis hujus tum voluisses educere, & adducere tecum in judiciũ, quid me futurum fuisset? Sine dubio nunc habitaret in inferno anima mea, & una cum ceteris improbis debita flagitiis ac sceleribus suis supplicia persolveret. At contumaciam peccatoris vide; obstinatum ad perseverandum animum aspice; resistentem tuæ voluntati servum intuere: non tamen ad puniendum, sed ad salvandum; non ad feriendum, sed ad sanandum. Magnitudinem mali sentiebam, eam à te sæviente mihi inflictam plagam intelligebã; de damnatione æterna, nisi mihi interea prospectum esset, non dubitabam: attamẽ, sive perturbatione animi, sive stupore cordis oppressus, neque peccata confitebar mea, cum possem, cum meminissem, neque ea dolebam ex animo, quamvis multis cum lacrimis à te rogarem ut parceres: nam dolor ille, qui inerat, minime mihi suffragatus ad remissionem peccatorum fuisset, cum non eum meus in te amor eliceret, sed solum exprimeret præsentis periculi metus, non diuturnus magister officii; ut postea ipsemet sensi: nam, eo periculo defunctus, neque statim peccata confiteri, neque ad te converti, neque occasiones peccandi dimittere, neque mores emendare; sed diem ex die ducere, multa polliceri, & nihil plane præstare.

CAP.

CAP. XXIV.

TV autem, greſſus meos ac ſemitas meas diligenter notans, ſpeculator perpetuus, ubi te diutius duci vides, intendiſti in me arcum ac ſagittas direxiſti: quæ non corpus, ut antea ferirent, ſed pertingerent uſque ad diviſionem animæ, compagum quoque & medullarum. Etenim rem cordi meo cariſſimam eripuiſti, non ex improviſo, aut brevi tempore, ſed paulatim, ac multorum menſium decurſu: quo diutius acerbiuſque animi cruciatu diſtraherer. qui quidem cruciatus tantum habuit acerbitatis, ut ceteræ omnes ſuperiores ægritudines ludus jocuſque fuerint, præut hujus crudelitas quæ dedit. Quid multa? quod nec mors patris mei, nec damnum rei familiaris, nec interitus matris, quod neque tam multi tamque lethales corporis morbi potuerunt efficere, dolor hic animi, ex rei mihi cariſſimæ jucundiſſimæque jactura acriter vehementerque infixus, expreſſit; videlicet, ut veram tibi deditionem facerem, neque prolatarem, ut ſæpius antea feceram.

CAP. XXV.

ERgo, per hunc modum flagellatus ac percuſſus à te, apprehendi diſciplinam; veritus, ne, ſi exardeſceret in brevi ira tua, perirem in æternum de via juſta. Tu vero, quæ tua eſt benignitas, oblitus iniquitatum mearum, non recepiſti me in numerum ſervorum tuorum, ſed in locum filii longe cariſſimi. Nam accurrens, cecidiſti ſuper collum meum, oſculum mihi dediſti, ac ſtolam primam, quam proferri juſſeras, impoſuiſti. Tum factum eſt gaudium in

in cœlo,ſuper me peccatore, pœnitentiã agente. Nam ſuperiores converſiones meæ ad te,firmitatis parum habuerant; ac bene vivendi diſciplinam voto magis ac voce,quam vita proſecutus eram. Tum multo magis quam antea cœpiſti mihi dulceſcere, dulcedo deſiderabilis, voluptas amabilis, lætitia incomparabilis; adeo ut,ſi quando mihi neceſſe eſſet ſpectaculis publicis intereſſe, vel aliquem divitiis aut honoribus præditum cernere,vel ſi quando aliqua mihi ſpes dignitatum vel opum objiceretur, nauſearet anima mea ſuper cibis iſtis leviſſimis, qui eſurientes non replent, ſed inaniores, quam fuerint antea, dimittunt, nec ſuſtinerem eos aſpicere. te ſolum panem vivum, panem Angelorum, palato cordis mei ſuavem ac dulcem experiebar; te ſolum fontem aquæ vivæ ſitiebam. Quotidie, pœnæ cauſa, corpus meum verberabam, ſæpe etiam cilicio domabam; eleemoſynas in pauperes,prout facultates meæ ferebant, erogabam; jamque eo amoris vinculo tibi devinctus videbar eſſe, ut auderem cum Apoſtolo tuo dicere. Quis me ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?

CAP. XXVI.

QVid? non te diligerem, amor meus? non in oculis ferrem? non omnibus rebus anteponerẽ,cui ita me carum eſſe ſentirem,à quo tanta ac tam diligens, ad me quærendum, inveniendum, caſtigandum, reducendum,ſanandumque, ſine aliqua ſpe emolumentorum ac præmii,data opera eſſet? Quid multa? ita complures annos, & in his bonam florentis ætatis

meæ

meæ partem, tibi ſerviendo conſumpſi, ut totus præ amore tui liqueſcere diffluereque mihi viderer, neque exiſtimarem, poſſe aliquam meo in te amori calamitatem incidere. Sed, qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. qui perpetua hoſtium obſidione premitur, non ſe tradat ocio ac ſecuritati. qui undique ab inſidiis expetitur, ſui cuſtodiam non remittat. Ille ego infelix, qui ita pulchre mihi videbar ſtare, ut dicerem, Non movebor in æternum, qui nullam præterea talem vim metuerem, qui univerſa ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, in certamen contentionemq; vocarē, poſt multorum menſium dimicationem, tandem ad terram victus miſere corrui. O caſum horribilem! ô hominem miſerum! ô Dei judicia metuenda!

CAP. XXVII.

IVſtus es, Domine, & omnia judicia tua juſta ſunt; & omnes viæ tuæ miſericordia & veritas; & quis eſt, qui poſſit dicere, Cur ſic facis? Sed liceat mihi, miſerorum omnium miſerrimo, peccatorum omnium teterrimo, quanta poteſt animi demiſſione ac reverentia, eorum, quæ, ita divina exigente juſtitia, conſecuta ſunt, à te rationem exquirere. Oſtende mihi, Domine, poſtquam mihi ignoveras, quænam fuerint peccata mea, & ſcelera mea, quæ te ad iracundiam provocaverint; quodnam meum ob meritum, receptus in amicitiam tuam, ab eadem expulſus ſum denuo? cur amoviſti à me dexteram tuam, & paſſus es recidere animam meam in id lutum, unde eam extraxeras ne periret? Indica mihi, cur me ita judices.

CAP.

CAP. XXVIII.

O Altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt judicia tua, Domine! Verum, cum ad intima conſcientiæ meæ cubilia penetro, atque omnes ejus latebras ac receſſus exquiro, unum ibi deliteſcens invenio, cui præſertim hanc derelictionis tuæ cauſam aſſignem. Inerat, eo tempore, meo in animo ex rebus ſecundis concepta fiducia; qua elatus, tantos ſpiritus ſumpſeram, ut omnes, ſicut antea dixi, inviſibilium hoſtium copias, voce ac ſpiritu ipſo, me diſflaturum exiſtimarem: neque poteram iis ignoſcere, qui in ſemita mandatorum tuorum nequirent ſine caſu ac prolapſione conſiſtere. Atqui hanc mihi fiduciam non levis quædam opinio, ſed multæ magnæque rationes, ut mihi videbatur, tanquam radices, animo implicabant. primum, flagella iracundiæ tuæ, quæ me vehementer, ac ſupra quam dici poteſt, afflixerant, illud mihi præteritæ vitæ odium concitaverant, ut, ſi minus voluntate virtutis, at ſimilium vel majorum incommodorum metu, omnem peccandi voluntatem abjicerem. deinde, adeo mihi novum, adeo ſupra omnem fidem videbatur, quod tandem ex illis ſordibus emerſiſſem, ut vix mihi ipſe crederem, neque unquam tantum tuum beneficium mihi ex animo elapſurum exiſtimarem.

CAP. XXIX.

HÆc duo in primis fiduciam meam erexerant, hæc alacritatem incenderant. Ad hæc acce-

accedebant etiam alia, quæ ſtultam meam ſecuritatem non mediocriter alerent. Etenim laudabilis vitæ conſuetudo, qua veterem contrarium uſum pene aboleveram, præterea ætas ipſa, ad quam perveneram, quæ facinora atque flagitia fugere facta magis quam ſectari ſolet, quid aliud polliceri videbantur, niſi perpetuam animi firmitatem atque conſtantiam? Hæc mihi, fateor, majorem, quam par erat, ſecuritatem pepererunt; hæc ſenſuum cuſtodiam remittendam eſſe ſuaſerunt; hæc memoriam fragilitatis humanæ, quæ, niſi perpetuis tuis auxiliis ſuſtentetur, concidit, prope delerunt. At, quomodo ea mihi abs te auxilia deducerem, niſi peterem? & quomodo peterem, niſi orandi ſtudio flagrarem? Nam remiſſa atque oſcitans oratio, ne ab homine quidem impetrare aliquid poteſt. Verum, orationis ardor magna ex parte refrixerat, quæque à me tibi preces offerebantur, eæ magis à ſuſcepta quadam conſuetudine, quam ab ardore animi prodibant. Quid mirum eſt igitur, ſi perſeverantiæ donum non mihi contigerit, cui orandi ſtudium, rem ad illud obtinendum propemodum neceſſariam, defuiſſe appareat?

CAP. XXX.

ECce, mihi judicia tua, Domine, antea abſcondita, inquirenti ſe offerunt; ecce, vox tua in auribus cordis mei meam mihi negligentiam, oſcitantiam, & ſtultam ſecuritatem, quibus iram tuam merui, ſevere atque acriter objicit. Audio, Deus, auditionem tuam, & timeo; conſidero opera tua, & expaveo. O juſta judicia tua, quæ ſimilem noxiæ pœnam attri-

buunt, ut in suo quisque vitio plectatur, temeritas successibus adversis, negligentia damno, securitas subita vi impetuque sanciatur, quique tibi supplex esse desierit, sine quo ne ad minimum quidem tempus salvi esse possumus, hostibus suis percutiendus, vulnerandus, occidendusque tradatur! Omnia igitur, quæ mihi fecisti, in recto judicio fecisti, judex justus & fortis; ut meo etiam exemplo discant homines, de propitiato peccato non esse sine metu, nec sensuum custodiam abjicere, sed cunctis diebus vitæ suæ tibi servire in timore, & exultare cum tremore.

CAP. XXXI.

MEa igitur culpa ab amicitia tua depulsus, nudus, inops, ac miser jacebam in luto, in quod rursum ipse me dederam; ad id solum à te sublevatus, quod casum meum intelligerem, &, quo miseriarum devenissem, agnoscerem, neque illud, sicuti antea, me fugeret, qui ob id præsertim miser eram, quod miserias meas non sentirem, & anima mea in malis obstupesceret. Quod non leve tuum beneficium erat. Etenim spem dabat, me aliquando, tua ope, ex his malis elapsurum. Nam quemadmodum æger, morbo quamvis gravi periculosoque oppressus, propior est spei, quam desperationi, si mali magnitudinem sentiat: ita etiam peccator, quamvis vitiis omnibus coopertus, non tenuem sanitatis spem affert, si infelicem suum statum mente animoque percipiat, seque sui misereat.

CAP. XXXII.

DOlebam igitur, quod ego, qui quondam ad cælum uſque aſcendiſſe videbar, atque inter ſidera tabernaculum vitæ collocaſſe, tunc in profundum abyſſi, non tam meorum hoſtium vi, quam à mea prava cupiditate, projectus, in limo defixus hærerem, & non eſſet ſubſtantia. Et vere non erat ſubſtantia: nam limus, cui hærebam, nimirum iniquitas mea, inter ea, quæ ſubſiſtunt, numerari non debet: ſolæ rerum naturæ, quas tu formaſti, quæque tibi laudes concinunt, hoc proprio ſignatæ nomine ſunt; cætera, quæ à te non prodierunt, quæque à tuis laudibus abſtinent, ſicuti ſunt peccata mea, abſunt à ratione ſubſtantiæ longiſſime. Me miſerum; nihil erat, quod à te diſtraheret, vel potius, quod me tibi inimicum redderet; attamen hoc nihil, ea vi præditum erat, ut ego, qui aliquid ſum, quia tu me formaſti, non ex eo egredi, quamvis eniterer, poſſem. O vanas hominum cogitationes, o ſtulta conſilia! Nam, quæ major excogitari ſtultitia poteſt, quam, ob rem nullam, te divinam ſubſtantiam, fontem bonorum omnium, amittere, immo velle ad nihilum redigi? nam, quid ſumus, cum à te recedimus? propemodum nihil. quid enim eſſe ſine te poſſumus, vita noſtra, vita cui omnia vivunt, & in qua omnes movemur & ſumus?

CAP. XXXIII.

HVic nihilo, miſer, arctiſſimis nodis illigabar; immo, ab hoc nihilo graviſſimis ca-

tenis illaqueatus trahebar in nihilum, & ſciens prudenſque ad interitum ruebam voluntarium; voluntarium, inquam, quia, niſi mea voluntas, ob peccatum infirmiſſima, aſſenſionem ſuam præbuiſſet, non iſſem abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis. O miſerum & infelicem ſtatum meum! acerbiſſimo ſervitutis jugo me premi ſentiebam. quid multa? pudebat me; dolebam, ingemiſcebam; neque liberum ab eo collum ſubtrahebam. Horrebam ac deteſtabar dulce illud amarum, unde peribam; & ſimul eidem avide inhiabam. Statuebam, peſtiferum illud mortis poculum à labris meis dimovere; & ſimul cogitabam, quomodo in me illud ingurgitarem. meditabar, ea, quæ me tibi præriperent, à me repellere; ac ſimul metuebam miſere, ab eiſdem ne deſererer. adeant puriſſimæ conſolationes tuæ, quæ ſuperant omnem ſenſum; meque ad impuras ac, me ipſo judice, amaras voluptates convertebam. aridæ factæ erant ſiti fauces meæ; &, cum paratum haberem unde biberem, nimirum te fontem aquarum viventium, ubi ita ſitim explerem, ut non ſitirem iterum, attamen lubebat confugere ad terram aridam, deſertam, nullaque aquarum inductione irriguam.

CAP. XXXIV.

QVid hoc morbi eſt? tantane peccato vis ineſt, ut hominem, ſibi addictum, tam acerbe ac crudeliter habeat, ut hac illac diſtractum, quocunque libeat, tanquam pecudem attrahat? Sed tu, Domine Deus meus, qui etjam in ira misereris, cogitationes mihi quaſdã immittebas, quas ſi apprehenderem, educeres

de tribulatione illa animam meam. Etenim nunquam facta est mihi in pace amaritudo mea amarissima, sed solicitum semper animum cura atque timore complevit : ipsaque voluptas, cum aderat, redundabat luctu atque mœrore; tum testimonio conscientiæ, quæ acri semper morsu animum exedit; tum metu judicii tui, quod est formidabile; tum horrore pœnarum, quibus obstringerer; quæ futuræ sunt maximæ & æternæ.

CAP. XXXV.

SEd quæ mihi utilitas in his omnibus, si, adhuc jacens, non sublevabar, afflictus non recreabar, vinctus non solvebar, mortuus in vitam non revocabar? Quam misere timebam ne omnem de mea salute memoriam funditus ex animo ejecisses! Quam verebar, ne, à te sublevatus in altum, eodem quo Lucifer casu corruissem! qui quidem ascendit in montem sanctum tuum & in tabernacula tua Angelus, & in infimũ terræ locum prolapsus est Diabolus. quã metuebã, ne me abriperet Tartarus, atque intra sua viscera, nunquam evomendum, impelleret! Hei mihi, dicebam, Domine; à judiciis tuis timeo; à facie peccatorum meorum contremisco, quæ ad justissimum ac severissimum tribunal tuum dicunt contra me testimonium. Vide, Domine, & considera, quoniam tribulor; respice in me, ac miserere mei, quoniam defecit spiritus meus.

CAP. XXXVI.

IN hæc fere verba, aut his similia, effundebam in conspectu tuo orationem meam; qua

te ſuppliciter exorabam, ut, iniquitate relicta, ad juſtitiam remigrarem. Sed non proficiebam, non impetrabam. Neque id tua culpa ſed mea. nam, ubi aderat illud, quod me à te diſtractum habebat, ſive ejus conſuetudine delinitus, ſive occaſioni repugnare non audens; voti oblitus, me illi dabam, tanta animi cæcitate, ut te mihi præſentem eſſe non animadverterem, ſed malum coram te facerem; coram te, inquam, ante me clavis cruci affixum. Quid loquar, probe tu noſti, cui delicta mea non ſunt abſcondita. Qua in re carnificum tuorum immaniſſimam atrocitatem atque ſævitiam, longo intervallo, retuli, qui exquiſita illa ſupplicia, acerbiſſimoſque dolores, quibus afficiebaris, deridiculo habentes, ſupra dolorem vulnerum tuorum addebant. O ſcelus, ô flagitium, ô portentum ad inferos exportandum! quamvis nulla apud inferos par ejus meritis pœna reperiatur. Tu, manibus ac pedibus cruci affixus, ante me aderas; ego manus expeditas, ac pedes veloces, ad ſanguinem effundendum, habebam. tu, ſpinis redimitus, gemebas; ego roſis coronatus ridebam. tu, enectus ſiti, deficiebas; ego repletus vino madebam. tu, cum clamore & lacrymis te ipſum Patri offerens, animam exhalabas; ego, gurgite flagitiorum immerſus, de corde nequam ac de ore impuro voces nequiſſimas evomebam.

CAP. XXXVII.

VBi erat, Domine, furor tuus? cur non in me totus effundebatur? ubinam ſagittæ tuæ latebant? cur non omnes ab arcu iracundiæ tuæ in me unum dirigebantur, quo, meo exem-

exemplo, discerent homines, quid sit periculi, Deum contumeliis afficere? Sed, quæ te misericordia, ut pro crucifixoribus tuis exorares, adegit, eadem, ut mihi, malum coram te facienti, parceres, impulit. At ego inventus sum crucifixoribus tuis longe deterior: nam illi à notitia divinitatis tuæ aberant; si enim te cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent: at ego te, Deum verum, de Deo vero genitum, in utero virginis conceptum sine virili semine, crucis patibulum subiisse credo, atque profiteor. Sed, qui paratus eras, illis ignoscere, si pœnitentiam egissent, idem paratus eras mihi parcere, si in spiritu humilitatis, & in animo contrito, meum improbissimum factum detestarer.

CAP. XXXVIII.

NEque illud postea, ad me reversus, non improbabam; immo, ejus magnitudinem cum animo reputans, dolebam, flebam, clamabam, Quid feci miser? quid commisi? itane projectus fui ad audendum? peccavi peccavi, Domine; miserere miserere. & erat mihi dolor meus in conspectu meo semper. neque tamen recedebam à via mea mala; quia nondum id à te impetrabam; nondum te propitio placatoque utebar. O infirmas hominum vires, inanesque conatus! quam bene de se David, suæ conscius infirmitatis, ajebat, Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? Incipiebam ad te reverti, sed statim à cupiditate mea revocabar; conabar exurgere, sed statim meo oppressus pondere deprimebar ad ter-

ram ; incitabam , impellebam voluntatem meam ad volendum, ad currendum, at illa votis meis non respondebat. nam quod volebam bonum , hoc non agebam ; quod oderam malum, illud faciebam. quod ideo mihi evenire, ipse etiam sensi , ut meo exemplo discerem, diabolicis suggestionibus non ita facilem ad me aditum præbere , neque eo me præcipitem dare , unde non sit mihi liberum , cum velim, exire.

CAP. XXXIX.

VErum , cum hoc tam grave tamque severum animadversionis genus ab ira indignationis tuæ in me prodire non ignorarem, ex omnibus medullis & intimis cordis mei has tibi preces & supplicationes edebam : Vt quid Deus recessisti longe , despicis in opportunitatibus, in tribulatione ? obsecro , Domine , ne obliviscaris in finem ; respice in adjutorium meum , cum sit nemo , qui me possit eruere de lacu miseriæ, & de luto fæcis, ubi totis animæ vestigiis inhæreo, nisi tu Deus virtus salutis meæ : quod si me dereliqueris, quo confugiam ? unde auxilium expetam ? ab hominibus ne ? à meisne viribus ? satis jam satis meo malo didici, quantum sit in illis firmitatis ac roboris ; nam cum, eisdem confisus, sursum ad te niterer , non tam ascensum mihi paravi, quam ruinæ periculum struxi. quamobrem bonum est mihi, adhærere tibi , ponere in te Deo meo spem meam ; ad quem nemo potest venire, nisi tu ipse traxeris eum : trahe igitur me post te ; curram in odorem fragrantis misericordiæ tuæ : recordare, cujus sim condicionis

atque naturæ; nam, de immundo conceptus ſemine, pronus ſum ab adoleſcentia ad malum: reminiſcere figmenti, unde componimur; quod niſi tua vi retineatur, ſponte ſua ad ruinam & interitum tendit, & deſcendit in infernum, quaſi lapis.

CAP. XL.

Ita ad te, Domine, orabam. Sed adhuc perſeverabat contra me furor tuus; adhuc ſcribebas contra me amaritudines, & conſumere me volebas nequitiis ac fœditatibus meis. Itaque, oppreſſus amaritudine, dicebam in corde meo: Oblitus eſt Deus; avertit faciem ſuā, ne videat: quouſque tandem mihi iraſcetur? quouſq; me ſibi inimicum habebit? Me miſerum; quam verebar, ne ad me tua vox illa pertineret, Quæretis me, & non invenietis, clamabitis & non exaudiam. Ecce ego miſer vultum tuum exquirebam, & non inveniebam; auxilium implorabam, & non obtinebā. Sed quamvis à doloribus mortis oppreſſus, & à periculis inferni circumventus, non animum deſpondebam, non ſpem abjiciebam, ſuſtentatus fiducia benignæ miſericordiæ tuæ, quæ opportune importune obſecrata, dabit mihi petenti, dicebam, tres panes, quos anteponam animæ meæ avidæ atque famelicæ, quæ peregrinatur à Domino, in hoſpitio hujus mortalis & corruptibilis corporis; videlicet, veram peccatorum meorum contritionem, ſimplicem atque humilem eorundem confeſſionem, & plenam ac cumulatam ſatisfactionem; quæ etſi non dabit mihi, ſurgens, eo quod amicus ejus ſim, propter improbitatem tamen me-

am surget, & dabit mihi quotquot habeo necessarios.

CAP. XLI.

Confortabat etiam cor meum, ad te sustinendum, quod in Euangelio legissem, remissionem peccatorum, tanquam vi & precario, tibi esse extorquendam è manibus; cum dixisses tu ipse, Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis; omnis, enim, qui petit, accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur. & alio loco dixisti, Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Ex tuis igitur salutaribus monitis atque præceptis, adstabam ad fores misericordiæ tuæ quotidie; pulsabam, clamabam, non tam voce, quam cordis affectu: & cum non audires, vim denunciabam, &, Nisi, ajebam, mihi fias obnoxius, ad arma profundissimæ humilitatis accurram; pugnabo, vim afferam, neque antea molestus esse desinam, quam, si non amicitia, odio quidem certe & importunitate, exprimam à te incolumitatem & salutem animæ meæ. Neque peccata quæ feci, neque injuriæ, quas piissimæ majestati tuæ omnibus diebus vitæ meæ imposui, retinebunt me, quo minus ad thronum gratiæ tuæ accedam, &, novo quodam modo reus, non inficier peccata mea, sed singula ante te in amaritudine animæ meę confitear, ut misericordiam consequar, & gratiam inveniam in tempore opportuno.

CAP.

CAP. XLII.

QVod eò à te prolixius, in lacrimas fuſus, orabam, quia jam meæ me nequitiæ faſtidium ceperat; cujus jucunditates amariſſiſimis offenſionibus inquinabas, neque ullam unquam voluptatem liquidam ac puram illabi in animum ſinebas. quod mirum videri non debeat in iſtis tetris ac limoſis carnis oblectamentis. immo, ex eorum cœno ſcatebant jugiter vermes, qui acri animum morſu corroderent, neque partem aliquam quietis capere ſinerent; unde intelligerem, quam miſerum & amarum ſit, dereliquiſſe te, fontem omnis dulcedinis ac ſuavitatis. Alienabat me etiam ab iis dolor ſummus, & afflictio ſpiritus, ex eo contracta, quod mihi veniret in mentem earum cæleſtium epularum, quarum olim pinguedine ſaginatus erumpebam in laudes dulciſſimæ caritatis tuæ: quas cum pabulo porcorum conferens, quo tum ſaturari cupiebam nec poteram, præ dolore ſentiebam viſcerum meorum mihi partem abrumpi. Neque tamen, his cogitationibus ſtimulatus ac confoſſus, pedem ex illo cœno referebam, neque dicebam, Surgam, & ibo ad patrem meum & dicam illi, fac me ſicut unum de mercenariis tuis, qui abundant in domo tua panibus: quia auxilium gratiæ tuæ non aderat. Illud vero erat mirandum, quod ex vetere mea conſuetudine non ceſſabam, pauperum tuorum inopiam eleemoſynis ſublevare, neque intermitttebam, ſemel à me ſuſceptum, te quotidie deprecandi, meque verberandi, morem exercere; cum ſæpius audiſſem, atque ipſe etiam legiſſem, quod ſi diſtribuam in cibos pauperum omnes faculta-

tes meas, & si tradam corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.

CAP. XLIII.

SEd tu, dulcis ac rectus Dominus, hos mihi tanquam funiculos esse relictos voluisti, unde, te auxiliante, ex limo, in quo hærebam, extraherer. Etenim, pro tua summa ac singulari pietate, diutius non es passus elongari à me auxilium tuum; sed demum mihi illud large copioseque attulisti. O Domine virtutum, qui facis mirabilia *solus*; ô pater misericordiarum, qui misereris omnium, & nihil odisti eorum, quæ fecisti; adjutor meus, consolator meus, salvator meus, si mihi sint ora centum, si linguæ centum, non hominum sed Angelorum, nunquam assequi dicendo possim, quas tu fecisti bonitates ac miserationes cum servo tuo nequissimo ingratissimoque. sed quamvis indisertus ac rudis, quamvis pene infans & elinguis, attamen labia mea non prohibebo, quo minus, quantum in ipsis est, de corde pleno ac pingui eructent mirabilia tua, & cantent in populis gloriam tuam.

CAP. XLIV.

ERgo, cum iterum, mea culpa, jacerem nudus, inops, ac cæcus in sordibus meis, postquam commotus sum à te, ut infelicissimum meum statum agnoscerem, & horrerem, ut auxilium peterem, ut ad preces supplicationesque confugerem; immo, cum tu cordi meo suspiria, gutturi gemitus, oculis lacrimas dares,

cum

cum tu os meum aperires, cum voces ac verba ſuppeditares, quibus te ad miſericordiam provocarem; demum, ut occeperam dicere, à te adjutus ſublevatuſque ſurrexi. Etenim extendiſti manum dexteram tuam, extraxiſti de profundo miſeriæ peccatricem animam meam, quæ te reliquerat. O immenſa pietas! ô inæſtimabilis caritas! ô prædicanda benignitas! eatenuſne parcendo miſerandoque proceſſit divina bonitas tua, ut ingratiſſimum meum animum, qui, tot tantiſque à te beneficiis affectus, injuriam pro beneficio, odium pro amore rependerat, ex carcere mortis eriperet, & in gratiam amicitiamque reciperet? nam, quid nequius, quid deterius, quid prodigioſius excogitari eo homine poteſt, qui venam aquarum viventium fœtidæ paludis cœno, panem Angelorum beſtiarum cibo poſtpoſuit? Sed tu, horum omnium oblitus, feciſti mecum, non ex merito iniquitatum mearum, ſed ſecundum multitudinem miſerationum tuarum.

CAP. XLV.

AVgebat & cumulabat ſupra modum delictum meum & injuſtitiam meam, Domine, quod alias mihi, in eundem miſeriæ locum adducto, opem tuliſſes, ignoviſſes, & peccata omnia dimiſiſſes. O ingratum hominem ac nequam! parumne fuerat, quod ſemel in luto iniquitatum mearum computruiſſem, ex eoque, te miſerante, emerſiſſem, niſi me iterum in illud ingurgitarem? O ſervum improbum, & æternæ crucis ſupplicio dandum? nonne ſatis ſuperque fuerat, ſemel didiciſſe, quam miſerum eſſet ligatis manibus ac pedibus, hoc

eſt, amiſſa facultate ſurgendi, in luto fæcis hærere, niſi rurſum me eidem, majoribus implicatum laqueis, detinendum tradidiſſem! cur igitur tantum in me ſcelus admiſi? cur tenebras magis, quam lumen, amavi? cur vincula potius, quam libertatem, optavi? niſi quia vultus tui lumen meis ab oculis abfuit. avertiſti faciem tuam, & incidi in foveam, quam inimicus meus viis meis perduxerat.

CAP. XLVI.

SEd nunquam profecto à te deſertus derelictuſque jacuiſſem, niſi te prior antea deſeruiſſem. At fuerit hoc nequitiæ, improbitatis, ſtultitiæ, furoriſque mei; verum tua ſingularis humanitas, amor, atque benignitas, omnium ad ſe oculos attrahat, omnium mentes alliciat, omnium voluntates accendat, denique omnium linguis ac cordibus hæreat: quæ quidem caritas ac benignitas, ad ferendam mihi opem, & ad erigendum, de ſtercore flagitiorum, pauperem fœdiſſimum, contemptiſſimum, deſperatiſſimumque, decurrit. In quo illud præſertim à te ſpectatum exiſtimo, ut oſtenderes, & nobis, & populo qui naſcetur, divitias miſericordiæ tuæ. Nemo igitur peccator, quamvis omnium mortalium profligatiſſimus perditiſſimuſque, deſperet, ſed confidat; nemo animam abjiciat, ſed erigat. Ego vero, in quem tam multa & magna edita ſunt, gratias ago tibi, Domine Deus ſalutis meæ, miſerator meus, ſalvator meus, liberator meus: gratias, inquam, tibi ago, quantas maximas poſſum, pro omnibus miſerationibus tuis; atque humiliter ſupplico, ut confirmes

mes quod operatus es in me, ac tantum tuum beneficium esse mihi perpetuum velis, ejusque memoriam meo ex animo nunquam excidere.

CAP. XLVII.

QVo tuo auxilio, ut cum maxime, mihi opus est. Etenim, ob recentem casum, in tuis castris, ex veterano prope factus sum tyro, ex aliorum duce miles gregarius; &, tanquam incipienti, mihi illud dici potest, Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Vndecim igitur menses, plus minus, per limosas voluptates longe à viis tuis evagatus; ac denuo à te revocatus in cursum, jam non ex occulto, ac de insidiis, ut antea, sed palam & aperte oppugnabar à rugientibus præparatis ad escam, tanta vi, quantam vix cuiquam eorum factam esse arbitror, qui in exemplum patientiæ atque constantiæ leguntur. Etenim inimicus meus, multo mihi quam antea infestior, omnia ex infernis sedibus spiritualia nequitiæ agmina in meam perniciem adduxit. Nunquam, si hoc fas est dictu, populo tuo Israel cum Philistæis aliisque barbaris nationibus tanta res fuit, quanta mihi erat cum infernis monstris prodigiisque contentio; quæ eo iratiora & infestiora ad me redibant, quod sciebant, modicum sibi tempus reliquum esse. Pessimus & antiquissimus serpens insidiatur calcaneo meo: videlicet contaminare mihi nititur extremum tempus ætatis; cui calcaneo si possit venenatos dentes infigere, totum corpus veneno suo se corruptu-
rum

rum non ambigit; hoc eſt, omnes ætatis meæ annos in eandem perniciem attracturum, atque æternæ damnationis ſententiæ ſubjecturum. quod ſi illi ex ſententia ceciderit, quid me fiat? jam tot anni, tibi ſerviendo exacti, tot labores initi, tot pericula adita, tot pœnæ ad impetrandam peccatorum veniam à me ultro ſuſceptæ, quod ad meam ſalutem attinet, in irritum recident, vel, me damnato, aliorum utilitati & commodo cedent. Obſecro, Domine, non feras, non patiaris, non ſinas.

CAP. XLVIII.

ITa igitur meus improbiſſimus hoſtis aggreſſus eſt oppugnare propoſitum meum: (quod non tibi narro, qui pugnæ ſpectator aderas, ac mihi virtutem ex alto ſuppeditabas: ſed Eccleſiæ ſanctorum, quibus ad impetrandam peccatorum veniam deprecatoribus utor.) Erat mulier quædam vidua, cujus amore olim exarſeram: hæc, ſive benevolentia, ut ipſa præ ſe ferebat, ſive utilitate, quod eſt verius, adducta, ſumma vi cœpit à me conjugium meum expetere: ac veteris amoris fiducia, tantum animi ad audaciam ſumpſerat, ut non dubitaret me invito, domum meam ingredi, mihique, remotis arbitris, votum ſuum exponere, ac primo precibus, atque, ut mos eſt mulierum, lacrimis uti, tum amorem quendam ardentiſſimum ſimulare, deinde omnes ad me capiendum blandicias & illecebras adhibere. Hæc, hæc inquam, à meis teterrimis hoſtibus opera dabatur in primis, neque enim erant obſcuræ illorum inſidiæ, ut me his artibus ad nequitiam adducerent. Poſtremo, cum nihil ea pro-

proficeret, ad minas, ad vim confugere, ac, se nunquam me deserturam, dicere: & quoddam quasi vinculum futuram, quo perpetuo constrictus in libertatem nunquam egrederer.

CAP. XLIX.

EGo autem, cum mihi molesta esset, induebam me cilicio, & convertebam orationem meam ad te Domine, & toto cordis impetu clamabam, ut non traderes bestiis animam, confitentem tibi, neque animam pauperis tui obliviscereris in finem. Et, quo illi vehemenrius obstarem, opponebam amorem in te meum, cui nullam unquam illaturus essem injuriam. Hoc audito, tanto illa magis instare, ut se uxorem ducerem: non enim amorem tuum conjugalis thori caritatem excludere, sed cum ea posse societatem inire: se quoque una mecum in eisdem ædibus cælibem vitam acturam: nihil enim cupere, nisi cum homine sibi carissimo individuam vitæ societatem exigere. Atque ita mecum acute, ita prudenter, de legibus connubialibus, de voto castitatis, quòd conjugium admitteret, quod eo obstrictus solvi posset, disputabat, ut jam mihi, non cum indocta & imperita quadam muliercula, sed cum præstanti eruditoque Theologo videretur esse contentio.

CAP.

CAP. L.

AT postquam me constanter à re uxoria abhorrentē videt, neq; ejus dictis acquiescere; quo saltem pudore deterritum in suam sententiam perduceret, dicebat, me non aliquo tui respectu ac reverentia, sed hominum existimatione metuque, ab uxore ducenda refugere; quod nimirum puderet, pauperem, ignobilem & indotatam, uxorem accipere, præterea nimis misere metuerem, ne in reprehensiones amicorum, & iram propinquorum incurrerem. Sed laterem lavit: nam mihi fixum ac deliberatum erat in animo, non alio amore calere, quam tuo, neque aliis amplexibus circumplicari, quam tuis. nam bonum est homini, mulierem non tangere; & qui sine uxore est, cogitat quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo; qui autem matrimonio junctus est, cogitat ea, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. Sed quomodo absque tuo singulari auxilio possum abstinere à carnalibus desideriis, quæ militant adversus spiritum? quæ desideria ab utero matris meæ mecum allata, vitio depravatæ consuetudiuis pene in immensum excreverunt. Tu nosti, Domine, infirmitatem meam; neque eadem ita multum à notitia mea sejungitur. Sunt quidem apud me virtutis quidam stimuli ac probitatis, sed major est libido voluptatum ac vitiorum: est quædam propensio ad bonum, sed longe major est inclinatio ad malum. quo factum est, ut, toties à te misericorditer erectus sublevatusque, prolaberer. & nunc quidem sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi tuæ; quo perpetuo periculosoque

ſoque conflictu hac illac diſtrahor, ac ſemper in pejorem partem rapior.

CAP. LI.

HEi mihi, quam metuo rebus meis! quam vereor, ne demum ad pejorem partem victoria redeat! Vide, Domine, quoniam tribulor; ſurge, quare obdormis? accelera, ut eripias me, Deus ſalutis meæ. O diverſe diſtractum animum meum! hinc metus abripit, illinc ſecuritas retinet; hinc dolor excruciat, illinc delectatio demulcet; corripit me timor mortis ac terror, & ſimul capiunt illecebræ voluptatum, propter quas ſolum mors eſt horribilis ac metuenda; ſtatuo odiſſe cuncta quæ oderis, teque ſummum bonum ſuper omnia diligere, & ſimul ſentio, tacita me cum iis amicitia conjungi, quibus inimicitias renuncio; cruciat me vitæ nequiter actæ recordatio, & ſimul pravus uſus ad eandem vitæ conſuetudinem attrahit. Hei mihi, quid me fiat? quod horreo amplector, quod fugio perſequor, cujus me pudet, ipſum plane delectat. ſi me ſuſtines, adſto; ſi deſeris, corruo; ſi trahis, ſequor; ſi linquis, redeo; ad bonum tardus, ad malum velox invenior; ad probitatem, repugnante ingenio, nitor, ad vitia libidinis, naturali impetu feror: &, quemadmodum, qui adverſo flumine navigant, ſi inhibuerunt, regrediuntur intermiſſo impetu pulſuq; remorum; ita etiam ego, ſurſum ad te nitendo, ſi diligentiam remitto, fere præcipiti lapſu revolvor, quo naturalis inclinatio propellit.

CAP.

CAP. LII.

ECce autem, cum infelix ego homo deberem, omissis ceteris studiis & cogitationibus, id unum agere, id sunummeditari, ut tibi placerem, amor meus, mea voluptas, meæ deliciæ, mea amœnitas, ut, bonis operibus operam dando, male transactum tempus, ut ait Apostolus tuus Paulus, redimerem, me nova cupido, vel stultitia potius, invasit: ut, edito aliquo opere, celebre meum nomen, si possem, efficerem. O inanes meas cogitationes! ô stulta consilia! Nonne, si mihi cordi erat, meum nomen in omnem æternitatis memoriam propagare, ea via niti debebam, quam, ad veram gloriam, rectissimam esse didiceram? nimirum, ut peccatis animum exuendo, ac virtutibus exornando, justitiam amplecterer, diligerem, colerem: quod, ut præclare Vates ille cecinit, qui tibi erat in amore atque deliciis, solus in memoria æterna futurus sit justus. Cum igitur, hoc tam inani nominis mei propagandi studio flagrarem, non fuit consilium, grave ac severum aliquod opus dolare atque perficere, quod solidam atque utilem fidelibus tuis doctrinam contineret, vel quod ostenderet, quomodo possent hic homines tibi placere, sed ad fabulas animum converti, atque commenticiam quandam civitatem effinxi, in qua multa, partim levia, partim ridicula, partim etiam flagitiosa agerentur: quod verebar, si de rebus seriis, videlicet de rebus bonis aut malis, expetendis aut fugiendis, honestis ac turpibus, utilibus aut inutilibus, de justitia, de continentia, de

de prudentia, de pietate, de ceteris virtutibus, contrariiſque vitiis, libros confeciſſem, ne lectores, indicibus eorum perterriti, quod eſſent de rebus pervulgatis atque moleſtis inſcripti, ab eorum lectione abſterrerentur, aut libri illi, in infinita voluminum turba, quæ de rebus illis docte, ornate, copioſeque loquuntur, latitarent; vel, ſi comparerent, nemo eos vellet aſpicere, nec prorſus attingere. Verum, cum me conſcientiæ morſibus pervelli ſentirem, (nunquam enim ſum à te omnino deſertus, rex meus & Deus meus,) ac tacite mecum loquereris, non eſſe æquum, tempus, ad tibi ſerviendum, atque ad ſalutem meam in tuto collocandam mihi conceſſum ac traditum, iis ineptiis ſcribendis largiri, quæ nullam mihi utilitatem, ceteris etiam damnum & offenſionem, afferrent; cum, inquam, his vocibus compellarer, ita eram impudens, ita ſtultus, ut mihi perſuadere conarer, poſſe me etiam per hanc rationem, ægris animorum animis mederi; non enim inutile ac reprehenſione dignum habendum eſſe illud opus, quod communia hominum vitia in legentiū oculis prope defigeret, eoſque peccati turpitudine inſpecta, à vitiis ac ſceleribus avocaret. Sed re vera mihi ipſe blandiebar, ac vanitati ambitionique honeſtiſſimam virtutis perſonam imponebam. Nihilo minus tamen, opere perfecto abſolutoque, cœpit me facti pœnitere; ac temporis etiam jacturam, honeſtioribus laboribus ſuſcipiendis, ſarcire ſum conatus. Quin etiam, ſubito quodam divini tui amoris impetu abrepto, factus eſt mihi liber ille anathema; rejectuſque in angulum, tanquam in carcerem, aliquandiu ibi pulvere ſituque contabuit. Sed, die

quo-

quodam, cum ego sermonem cum homine mihi amicissimo haberem, incidit mentio de libris, atque, eum esse apud me libellum, aperui, pluribus fabulis facetiisque refertum, qui, suo lepore, posset cujusvis ad se legentis animum rapere. Exarsit ille cupiditate incredibili, ejus inspiciendi; ac petere à me opere maximo cœpit, ut ejus sibi legendi copiam facerem: nam fieri posse, si talis esset, qualis à me describeretur, ut sine ullo meo sumtu, typis ab aliquo mandaretur. His auditis, continuo me pristinus propagandi nominis ardor arripuit; ac statim meo cum libro in gratiam redii, extractumq; è tenebris, homini tradidi. Quanto melius mecum esset actum, si id illi factum contigisset, quo plures scriptiones meæ, quibus ociū meum honeste oblecto, interierunt! nimirum, ut vel discerptus esset, vel traditus flammis. At ille, cum multos menses per manus hominum volitasset, se demum in celebrem urbem quandam pervenisse cognovit, ubi à mercatore quodam exceptus, ac liberaliter habitus, delatus est ad exteros. Sed, cuinam, Domine, hæc narro? tibine, cui aperta sunt omnia, quique tum cogitationes illas meas inspiciebas irridebasque, quoniam vanæ essent? Minime; sed servis & amicis tuis mea vulnera detego, qui te orent, ut sis propitius. Iam fere biennium, à meo stulto consilio & vana cogitatione, defluxerat; nec liber, nec à mercatore literæ veniebant, quæ quidquam de libro indicarent. quamobrem periisse eum existimans, (nam ejus exemplum apud me domi nullum reliqueram,) gaudebam; atque in eam etiam opinionem adducebar, ut crederem, ejusdem interitum, divina tua providentia contigisse; quod nolles,

quid-

quidquam extare, quod aliquid mihi de tuo amore gratiaque detraheret: cum mihi ex improviso affertur, librum, multis jam mensibus impressum, in meam patriam delatum fuisse, ac multorum manibus teri. Sed, cum inquirerem, quænam de eo esset hominum eruditorum sententia, inveni, pessime eum apud omnes audire; non quidem, quod stylum attineat, nam eum satis ornatum elegantemque existimari; sed quod ad res spectet, quæ in eo narrantur; quæ essent partim turpes, partim perniciosæ, vel quod mores corrumperent, vel quod famam multorum læderent, vel quod Reipub. decus dignitatemq; minuerent. quamobrem multi erant auctores iis, apud quos summa rerum reciderat, ut famosi libelli reus efficerer. recte an secus, nihil ad hoc tempus. illud mihi dolet, illud me cruciat, illud male me habet, quidquam ab ingenio meo prodiisse, in quo ita aliqui offenderentur. Hæc sunt mala, in quæ me, partim Adæ peccatum, partim mea culpa, conjecit. Ecquis me liberabit de corpore mortis hujus, nisi tu Deus, salvator meus? Ecce, ego ante oculos tuos culpas meas defero, infirmitates aperio, vulnera detego. Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita ejus, si in correptione fuerit, ad misericordiam venire licebit: non enim delectaris in perditionibus nostris. vide, Domine, humilitatem meam & laborem meum; & quia, ex me, nequeo sine casu ac prolapsione consistere, quoties tu me jacentem videris, subleva, cadentem sustine, infirmum recrea, afflictum consolare, manus dissolutas conforta, genua debilia robora; impera Angelis tuis de me, ut custodiant me in omnibus

viis meis, ut insidias pellant, laqueos infringant, lapides tollant, iter explanent, quò demum ad te sine errore & offensione perveniam.

CAP. LIII.

AT, si tibi mea salus cordi est, dulcis ac rectus Dominus, jube deprecor, ut ad defensionem meam excubent duo illi propugnatores longe fortissimi, quibus præsertim defendentibus, carnis desideria conticescunt, nec adversus spiritum commovere se audent; timor nimirum tuus, & cor contritum & humiliatum. Eia age, piissime ac misericordissime Domine; quoniam ita es propensus ad ignoscendum iis, qui amaro sunt animo, ne confundas me, obsecro, sed facias mecum secundum mansuetudinem tuam. ac primum confige timore tuo carnes meas: deinde largire mihi, ex memoria peccatorum meorum, intimum animi dolorem, ac veram cordis contritionem; qui dolor ita sit summus, ut à spe veniæ consequendæ non deseratur, cujusmodi fuit Iudæ proditoris tui pœnitentia; ita intensus, ut nullam ex me talem vocem eliciat, qualis audita est ab eo, qui misericordiæ tuæ, cujus non est numerus, certos fines præfiniens, dicebat, Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear; neq; impius intelligebat, quam benignus sis, ac præstabilis super malitia, & quod nulla peccatorum tanta vis est, quæ, in immensum miserationum tuarum pelagus influens, non ab eodem excipiatur absorbeaturque.

CAP.

CAP. LIV.

HAc igitur ſpe erectus ego infelix homo, omnium, quos terra ſuſtinet, ſceleratiſſimus, genibus humi poſitis, ad miſericordiæ tuæ pedes advolvor, orans atque obſecrans, ut ſis mihi adjutor, atque operi manuum tuarum porrigas dexteram. Abſolve, Domine virtutum, abſolve opus, quod inceperas, intermiſſum odio & malignitate eorum, quorum omnis opera in eo labefactando deſtruendoque conſumitur. ne patiaris, ædificium, tibi excitatum paratumque, draconum, ſerpentium, leonum, atque omnis generis ferarum, uſibus cedere. non permittas, tot ingentia tua beneficia, tot labores, tot anteactæ meæ vitæ fructus in irritum cadere. ne, quæſo, hanc illis voluptatem objicias, quibus nihil eſt antiquius, quam me in eandem cum ipſis ruinam attrahere. Audivi de quibuſdam maximis peccatoribus, quod, tuo munere immutati, repente ſummorum Sanctorum merita exæquaſſent: adſcribe me ad illorum numerum: vel, ſi non eſt mihi fas, tantum optare, ſaltem ex improba atque execrabili peccantium turba in poſtremum ſervorum tuorum numerum transfer; ut, tibi immutatus, Davidicum illud cantem: Nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ excelſi.

CAP. LV.

ID ſi tuo munere impetravero, ac duobus illis defenſoribus, quos dixi, munitus ero, quamvis conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum; quamvis exurgat adverſum

me prælium, in hoc ego ſperabo. nam ſcio, fore mihi foris pugnas, intus timores : ſcio, rem mihi fore cum inimico valentiſſimo, cum adverſario acerrimo; qui jam jam aderit armatus, iratus, & aſſumet ſecum ſeptem ſpiritus, nequiores ſe, ac reverſus novam pugnam dabit, ferocius aggredietur, eoque nitetur irrumpere, unde deturbatus exceſſit. Sed quid improbus mihi nocebit, ſi cuſtos aderit timor tuus, Domine, ac de peccatis, in te commiſſis, dolor perennis? Immo fortiter ejicietur, ferietur, in fugam vertetur. Quod ſi etiam cor meum & anima mea ſuaviſſimi amoris tui flamma ſuccenſa flagraverit, ita ille perterrebitur, ut ne faciem quidem meam ſit paſſurus aſpicere. Da mihi igitur, ut te metuam, ut te diligam, amor meus, fortitudo mea, lumen oculorum meorum; ſed ita te metuam, ut metum hunc, non humilis & fracta timiditas, ſed ingenua ac liberalis reverentia commoveat; ita te diligam, ut meum in te amorem non aliquid in cælo vel in terra conciliet, ſed tu ipſe ſolus obtineas, qui es amor verus ac certus, dulcedo ineffabilis, ſpes neminem fallens.

CAP. LVI.

HÆ ſunt viæ meæ pravæ atque perverſæ, quas longe à viis tuis ambulavi, omnibus fere diebus vitæ meæ. Ecce, vitam meam annunciavi tibi; poſuiſti lacrimas meas in conſpectu tuo : ac tribularer, niſi ſcirem miſerationes tuas, Domine, qui dixiſti, Nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat.

Pecca-

Peccavi, Domine, peccavi, & malum coram te feci. non inficior peccata mea, non excuso, non extenuo; sed palam effero, sed multa, sed magna; sed nefanda esse, vociferor. Parce igitur, parce confitenti, clamanti, gementi; & propitius esto peccatis ejusdem, propter nomen tuum. Nam per discipulum illum, quem Iesus Christus filius tuus dilexit ex omnibus plurimum, cui matrem suam, matrem item meam, ac peccatorum omnium communem patronam, commendavit, scriptum legitur, quod, si confessi fuerimus tibi, fidelis es & justus, ut remittas nobis peccata nostra, & emundes nos ab omni iniquitate. At certe præstaret, antea millies quamvis carnificinam subisse, quam te creatorem, redemptorem, ac salvatorem meum offendisse: sed, quoniam id, quod factum est, infectum reddi non potest, ac sæpius, quæ scita sunt in tuis legibus, sum ausus infringere; ad illud ultimum tutissimumque perfugium, nimirum ad aram misericordiæ tuæ, supplex accedo. hanc amplector, hanc teneo; neque antea dimittam, quam resonet in medio cordis mei vox illa tua dulcissima: Remittuntur tibi peccata tua; fiat tibi sicut vis.

CAP. LVII.

QVod eo confidentius facio, quod apud thronum misericordię tuæ advocatum habeo Iesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis meis, non pro meis autem tantum, sed etiam pro totius mundi. At pœna temeritatis danda est; &, nisi purgatorium ignem experiri malim, multis hic asperis, gravibus, acerbisque ferendis, peccatorum meo-

rum maculæ eluantur oportet. Feram, patiar, ut potero. Ecce ego, Domine, in flagella paratus ſum; ac, ſi me percutias, interimas, deleas, ſi ad nihilum redigas, mitius mecum agas, quam mea poſtulent peccata atque flagitia. Satis bene atque præclare mecum actum erit, ſi non in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

CAP. LVIII.

VErum, non quieſcet vox mea à ploratu, & oculi mei à lacrimis, donec de me animum patris accipias. Animadverti jam dudum, quantum inſit boni in animadverſionibus tuis. nam caſtigaſti me, & eruditus ſum; quaſi juvenculus indomitus, confuſus ſum, & erubui: quaſi equulus effrenus, conſtrictus ſum, & ſuccubui: virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt: quia per ea directum eſt cor meum in viam rectam, de qua deceſſeram, atque in eam opinionem adductus ſum, ut crederem, me tibi in eorum numero eſſe, in quibus diligendis patriam tibi conſtitueris caritatem. nam quos diligis, corrigis & caſtigas. Quamobrem piiſſimam majeſtatem tuam cum lacrimis ſemper orabo, ut, ſi patris de me animum non habeas, accipias; ſi habeas, ut non ejicias.

CAP. LIX.

VErum, ſi filii apud te locum obtineo, jam quid futurum ſit ſuſpicor. Nam, cum iterum peccaverim tibi, & mandatis tuis non obediverim, denuo congregabis in me verbera atque flagella: ego autem, quia, quæ ſunt aſpera ac

ra ac difficilia perpeſſu, natura aſpernatur ac refugit, clamabo, orabo, ut contineas manum, ut miſerearis, ut parcas: tu vero, adjutor meus, non moveberis, non obtemperabis, non ſatisfacies, quoad animus, vitiis expurgatus, mutatis affectibus, convertat luctum in riſum, mœrorem in gaudium, querelas & lamentationes in cantum, ac miſericordias tuas hymnis perennibus proſequatur. Tum faciam id, quod æger, recuperata valetudine, ſolet; qui medicum, à quo ſanus factus eſt, amplectitur, ſuſpicit, laudat, gratiarum actionibus dulciter amanterque proſequitur, & uſtiones illas, ſectiones, miſſioneſque ſanguinis, quæ antea nimis horrebat, laudat, diligit, ſalutem ſuam appellat. Non minus ego in flagellis tuis lætabor, laudem dicam tibi, tuæque in me caritatis admirationi deditus ero.

CAP LX.

Ecce me, Domine, demiſſe humiliterque jacentem ad pedes formoſiſſimos tuos, amore amoris mei ſæviter inhumaniterque transfixos: ecce me paratum ad omnia, quæcunque juſſeris, ſive bona, ſive mala. atque, ſi ita tibi expedire videtur, ut ego, tanquam filius corruptus, plagis afficiar, obſecro, da mihi animum æquum, perferentemque plagarum: pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis, ne, verberatus, flagellatus, ſtultum quid eloquar, ſed potius meo ex ore Davidicum illud prodeat, Iuſtus es, domine, & juſtum judicium tuum: vel quod viro patientiſſimo Iobo, cum maxime calamitatibus expeteretur, ſemper erat in ore, Sicut pla-

cuit Domino, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.

CAP. LXI.

ADhuc locutus est tibi spiritus meus, qui quidem promptus: carnis autem infirmæ, quæ flagella nimis formidat, longe alia est oratio. Tu scis insipientiam meam, Domine; timidus, pusillus, & infirmus animus meus à te non est absconditus; qui ad omnem, non solum advenientem, verum etiam impendentem malorum vim, debilitatur ac frangitur. Itaque vix flagellum exseres, vix brachium ad feriendum attolles, cum ego manum objiciam, atque, ut ignoscas, orabo: vix virgas expedies, lora parabis, cum, sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, ita erunt oculi mei ad te Dominum Deum meum, donec miserearis mei. Miserere mei, Domine, miserere mei; ac, si fieri potest, (sed quid inquam, fieri potest? omnia tibi possibilia sunt,) sepositis flagellis, omissis animadversionibus, ardentissimi amoris tui igne, peccatorum meorum maculas elue, scorias iniquitatum mearum antiquarum atque recentium exure. proba me, Domine, proba cor meum hac perfectissima ac singulari ratione. flagella mancipiis, flagella hostibus adhibe; cum liberis, cum amicis, quales tu tibi nos esse voluisti, non metu, sed amore, non pœnis atque suppliciis, sed donis beneficiisque contende.

CAP.

CAP. LXII.

NOn novum aliquod postulo; non inauditum efflagito: ita est actum à te cum multis. O si ego ex te illud audirem, Remittuntur tibi peccata multa, quoniam diligis multum; vel illud, Non ego te condemno, vade & jam amplius noli peccare; quid esset, quod felicitati meæ posset accedere? nam quibus gaudiis exultarem! qua lætitia perfunderer! ut mihi cantabiles fierent justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ! Age, Domine, ure renes meos & cor meum dulcissimo caritatis tuæ igne; amor inquam tuus, Domine, non plagarum crepitus, non verberum ictus, faciat me fastidire omnia præter te unum, faciat me omnia arbitrari tanquam stercora, ut te lucri faciam. O ignis, cuncta consumens, amor ad te omnia trahens, voluptas omnia delectans, thesaurus omnia ditans, bonitas omnia complectens, suavitas omnia perfundens; influe visceribus animæ meæ, teque adeo mihi totum admisce, ut ex me atque ex te unum fiat; siquidem, qui adhæret Deo, unus cum eo spiritus est; immo converte me totum in te, ut jam non sim amplius ego, sed tu solus in me vivas, vigeas, regnes, & cum Apostolo tuo dicam: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Deus.

CAP. LXIII.

O Domine virtutum; scio, me rem magnam atque admirabilem petere; sed tu, qui facis mirabilia magna solus, ad laudem & gloriam nominis tui præsta hanc rem, tam novam,

tam magnam, tam miram, ut homo, flagitiis ac libidinibus deditus, vel potius totus ex libidinibus flagitiisque conflatus, jam nihil pejus, quam carnis desideria, oderit. In quo majorem tibi admirationem excitabis, quam olim, cum ventis ac tempestatibus imperabas, cum siccis pedibus mare ingrediebaris, cum quatriduanum Lazarum ab inferis excitabas. Quid enim dici aut fieri admirabilius potest, quam ut sordes mundæ, impuritas pura, caro spiritus fiat? Excita igitur potentiam tuam, &, quod fieri natura non potest, dextera tuæ majestatis exsequere, ut admiretur ac dilatetur cor meum, & cantem mirabilia tua in Ecclesia magna. Amen.

DE S. AVGVSTINO

Sermo, in ejus feſto.

QVoniam temporis, quod nobis, de præclaris D. Auguſtini virtutibus, ad dicendum datur, habenda eſt ratio diligenter; omiſſis ceteris, eam tantum perſequemur, cujus ſimilitudinem, in nobis, qui ad eundem modum quo ille peccavimus, ſi ſalvi eſſe volumus, exprimamus oportet. Hæc autem eſt admirabilis ejus converſio ad Deum. Hanc igitur adamemus, hanc perſequamur, amplectamur, exornemus. Ad quam cuivis, qui ejus cupiditate ſtudioque exarſerit, liceat pervenire. Nam, ſi conemur ſummis in cælum laudibus efferre ejus ingenii magnitudinem, doctrinæ varietatem, multiplicem rerum pene omnium ſcientiam; totus laudis hujus fructus in eo conſiſtet, nihil autem ex illo ad nos redundabit: atque, ut omnia conemur, nullo modo, ejus nos ſimiles eſſe, continget; quod ea, in quibus ille excelluit, dona ſunt Dei, quæ, ſuo ex arbitrio, cui vult, ipſe largitur, neque ſunt ejuſmodi, ut ſine iis non poſſit ſalus æterna conſiſtere. Nam, ſi divinis mandatis obtemperaverimus, neque quidquam doctrinæ attigerimus, non ideo minus ſalvi futuri ſumus. Immo compluribus, à quibus, tanquam à capite, omnium doctrinarum fluenta decurrunt, tanta vis ſapientiæ, qua abundabant, æternę damnationis cauſam invenit. Nam, cum Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt.

Gerebant illi pectus, omnium ſcientiarum copia refertum, ſed in omnium etiam vitiorum turpitudinis luto dermerſi jacebant. Id quod etjam Auguſtinus ſua confeſſione expreſſit, qui verum, contra ſe ipſum, teſtimonium dicens: Surgunt, ait, indocti, & cælum rapiunt; & nos, cum doctrinis noſtris, volutamur in carne & ſanguine. Quo ex cœno cum conaretur emergere, non objiciebat ſibi ante oculos præſtanti ſapientia viros, non philoſophos, non oratores; ſed pueros, puellas, viduas, alioſque omnis plane eruditionis expertes homines conſtituebat, qui reſpuerunt omnes voluptates, neque à ſtudio continentiæ, cupiditatis æſtu, abreptos, ad aliquem libidinis ſcopulum ſe paſſi ſunt abſtrahi. Cum acri ac vehementi adverſus ſe ira efferebatur, non eas illi iracundiæ faces admovebat dolor, quod aliquid neſciret, cujus eſſet ſciendi cupidus; ſed quia aditum invenire non poſſet, unde ex nequitia flagitioque pedem foras efferret: atque hanc ad Deum orationem habebat; Fremebam ſpiritu, indignans, quod non irem in placitum & pactum tuum, Deus meus. Converſionem ſuam ad Deum, pacti ac fœderis nomine afficit: quo etiam vocabulo eam Climacus appellavit; qui, plures converſionis definitiones afferens, hanc in primis enumerat, quod converſio ſit pactum, quod facit anima cum Deo, bene vivendi, ſicut male antea vixit; ut nimirum, quam antea operam, diligentiam, atque conatum, ad peccata perpetranda contulerat, eundem ad divina imperia perſequenda convertat. quod, D. Paulus, leve admodum, nec ſatis divinæ majeſtati dignum exiſtimat; cui perinde obſequi, ut ille meretur, ejuſque in nos

nos merita postulant, non humanarum, non Angelicarum est virium, quæ certis quibusdam finibus continentur, Dei autem majestas amplitudoque nullis terminis circumscribitur. sed cum modus nobis ille à Paulo perscribebatur, illis verbis, Sicut exhibuistis membra vestra, servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra, servire justitiæ in sanctificationem; imbecillitas ab eo nostra in consilium adhibita est. Ac præclare nobiscum ageretur, si, ad mensuræ eandem rationem, divinis imperiis serviremus, ad quam, cupiditatibus nostris, mundo, ac Dæmoni, obsecundavimus. Deinde, cum conversio nostra, fœderis cum Deo & pacti signata nomine sit, quanti Deus hominem faciat, quo eum loco ac numero habeat, mire colligitur: quem ut amicum habeat, non dedignatur cum eo ad pactiones conventionesque venire; in quo videtur eum sibi parem facere, ac velle æquo cum ipso jure certare. Summus igitur cæli terræque imperator ac Dominus Deus, usque adeo homini, quem creavit, quem, puncto temporis, potest unico oris sui spiritu difflare si velit, atque ad eos terminos, unde evocatus est, ad nihilum nempe, redigere; usque adeo, inquam, illi suum amorem ac benevolentiam præstat, usque adeo honorem habet, ut non dubitet, neque sibi indecorum existimet, cum eo pacisci atque decidere; quod fieri, nisi inter sortis ejusdem homines condicionisque, non solet. At tu felix ac sancte peccator, qui, conversus ad Deum, tam pulcra pactione, rediisti cum illo in gratiam, quoniam converti ad Dominum, nihil aliud definis esse, nisi, recte vivendi, cum illo pactionem inire; obsecro

te, ut nobis ostendas, quid sit recte vivere: idque quam paucis potest verbis, ut memoriæ mandare possimus, expedias. Atque ille huic nostro studio satisfacit, in expositione inchoata Epistolæ D. Pauli ad Rom. ubi docet, recte vivendi rationem duabus rebus maxime contineri: primum, non in se amare, nisi quod Dei est; deinde, odisse, quod proprium est nostrum. Bene doces. sed alterum etiam expedi: quidnam est id, quod ita totum est Dei, ut nulla ejus pars ad alium pertineat, quodque nos singulari quodam amore prosequi ac complecti jubemur? Huic etiam postulatui nostro occurrit; atque, veritatem illud esse, respondet; nempe Deum ipsum; quo etiam nomine se Christus, qui Deus est verus, appellat, cum inquit, Ego sum veritas. & Io. Apostolus, scribens ad Cajum, quem ipsi, divinæ nexus caritatis obstrinxerat, ait, Senior Cajo carissimo, quem ego diligo in veritate. quod perinde est, ac si dixisset, quem ego diligo in Deo. Totum igitur, quod est in Deo, veritas est; cetera extra illum omnia, vanitas mera, atque mendacium. Quod adeo verum est, ut David, nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil quod magis, veram ejus felicitatem contineat, esse judicet, quam si oculos, stomachans, à rebus istis inanissimis mendacissimisq; avertat, nec eas videre sustineat, ad quas alii, amentibus similes, incitato studio feruntur. Beatus, inquit, qui non respexit in vanitates & insanias falsas. Verum, divina hæc veritas, quæ nihil est aliud nisi ipsemet Deus, quo totos eidem nos dedere, in eoque omnia nostra ponere & consecrare possimus, aliquam sui in nobis notitiam efflagitat. nihil enim diligi ex animo potest,

test, quod intelligentiam nostram effugiat. Atque, ad rem quod attinet, ad Dei cognitionem duplex nos ratio, tanquam via, perducit. primum, humanæ intelligentiæ vis, qua, & Deum esse, & ejus providentia mundum administrari, eundemque consulere rebus humanis, nec solum universis, verum etiam singulis, firmiter credimus, iis rationibus, quas Theologorum schola docte atque scienter enumerat. tum, suavitas, ac voluptas, quæ ex ejus consuetudine usuq; percipitur: unde illa ejus vox & oratio, Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Prima illa cognitione, quamvis peccator, ad Deum diligendum, adigi impellique se sentiat, quoniam magnam in animis nostris veritas percepta vim habet, tamen vel nunquam eum diliget, vel diem ex die, quo id faciat, ducet. In hac mora se olim fuisse fatetur Augustinus; qui flens, Non erat, inquit, jam ulla excusatio, qua videri mihi solebam, propterea nondum contempto sæculo servire tibi, quia incerta mihi esset perceptio veritatis. Neque quidquam, quod responderet, habebat, nisi, ut tempus ad eam rem posceret, & longiores sibi in dies moras, his verbis, adnecteret: Modo, ecce modo; sine paulum: & hoc, modo, non habebat modum; &, sine paulum, in longum ibat. Ne multa, in eadem pravitate perversitateque versabatur, qua non parum multi ex nobis detinentur; qui ad omittendas omnes voluptates, ad relinquenda studia delectationis, ludos, jocos, tempestiva convivia, adolescentiæ & juventutis tempus expostulant, conversionem autem ad Deum, in firmatam ætatem, vel potius in senectam seniumque, rejiciunt; existimantes, cum adolescen-

tiæ cupiditates deferbuissent, atque ipsi voluptatibus animum exsaturassent, se posse eas, satietate, abjicere, & experiendo contemnere. Qua etiam mente erat Augustinus, qui, Malebam, ait, concupiscentiæ morbum expleri, quā extingui. Malebat videlicet sua eum quasi senectute confectum occidere, quam aliquam, ad eum depellendum, medicinam adhibere; tanquam si sit aliquis morbus, præsertim lethalis, qui sua sponte, nulla adhibita cura, sanetur; vel, si quispiam vinctus, tum magis ex catenis, quibus vinctus detinetur, eximatur, quo se illis arctius implicet. Immo, qui conversionem suam in diem, qua nihil est incertius, differunt, in eas, Gregorius inquit, plagas se induunt, eos sibi cancellos circumdant, in eum se carcerem condunt, à se ipsis instructum, unde cum libeat egredi, omnes sibi ad exeundem aditus obstructos & interclusos inveniunt. Atque hanc esse Iobi illius dicti sententiam affirmat: Si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat. Sed Gregorium ipsum, longe ad id aptius, quam nos, copiosius, elegantiusque loquentem, audiamus: Sæpe nonnulli à pravis actibus exire cupiunt, sed, malæ consuetudinis carcere inclusi, à semet ipsis exire non possunt. Neque, ad hujus doctrinæ veritatem confirmandam, nobis abeundum est longius; sed in Augustino, de quo referre cœpimus, commorabimur. Qui castitatis pulcritudine captus, tantam virtutis speciem, à Deo, in gratia postulabat; ex altera vero parte, timore, omnium maximo, afficiebatur; illud metuens, ne Deus præsto ipsi esset in optatis ac votis; adeo ut mortis sibi instar esse putaret, à libidinibus liberari. ita enim ipsemet, ad meliora

liora ſtudia converſus, Deo fatetur : Poſtulabam continentiam ; & timebam, ne me exaudires ; & quaſi mortem reformidabam, reſtringi à fluxu conſuetudinis. Si igitur tam male ſibi conſulunt, qui in re tanta, cum ſit opus properato, cunctantur, &, ad converſionem ad Deum, ſuam caniciem deligunt ; quanto perniciosius de ſe merentur ii, qui rem iſtam, qua potiſſimum æterna ipſorum ſalus continetur, in extremum vitæ ſpiritum differunt! Vni tantum, id ex ſententia eveniſſe narratur: quod etiam, niſi nobis Chriſti ipſius voce compertum eſſet; quem conſtat illi dixiſſe, Hodie mecum eris in paradiſo ; vix credibile videretur. uni, inquam, ſoli, res tanta proceſſit in numerum ; aliis omnibus aſpere, fœde, & infeliciter ceſſit. &, ſi quiſpiam eſt, cui id fortaſſe non male ceciderit, hic omnino nos latet ; vel, ſi aliquis extitiſſe dicatur, noſtri arbitrii res eſt, id verum eſſe putare, neque ad credendum, ſicut de ſancto illo latrone, ea, quam profitemur, fide compellimur. At quanto fecerimus ſapientius, ſi rem tantam, tam ſeriam, tam gravem, tam neceſſariam, ſtatim aggrediamur, ac, cunctantibus nobis, iiſdem dictis, ſegnitiem noſtram compellamus, quibus Auguſtinus ſuam verberabat : Quam diu cras cras ? quare non hac hora, finis turpitudinis meæ ? Id certum, exploratum, directum, ac planum, ad ſalutem eſt iter ; illud alterum, cui plerique hominum ſeſe committunt, ut diem ex die ducant, contortum, dubium, in præcipitia devolvit. Altera Dei cognoſcendi ratio eſt, aliqua ſibi eum amicitia uſuque devinctum habere, & ſuaviſſimos ejus mores deguſtare. nam fieri non poterit, quin ab eo, qui in ejus amicitiam ſe inſinuaverit,

verit, plus oculis ſuis diligatur. nihil eſt enim illo formoſius, nihil pulcrius, nihil amabilius. quapropter, nihil impenſius à nobis efflagitat, quam ut conſuetudine uſuque paululum experiri, qualis ipſe ſit, placeat. etenim non dubitat, quin, ejus dulcedine ac ſuavitate percepta, reliquas omnes hujus vitæ voluptates nobis in odium atq; contemptum adducamus. Non poteſt hominum ſtultitia atque perverſitas, tantum explicari verbis, quantum re ipſa eſt. docuit jam nos uſus atque experientia, quantum influat amari ad ea, quæ ſenſus voluptate permulcent. noſtris quotidie oculis percipimus, ea quæ omnibus opibus viribuſque petuntur, honores, imperia, ac popularem gloriam, in ſumma inanitate verſari: non tam docti, quam experti, ſentimus, quanta ſit in mundi promiſſis dolus, in dictis vanitas, in factis iniquitas; & adhuc non poſſumus animum ab illo divellere, & ad Chriſtum adjungere; cujus veritas manet in æternum. Sed, quod fidem mundo tantam habeamus, quod totos nos eidem fruſtra committamus, omnis in nobis culpa inhæret; neque quidquam eſt, quod queri de illo poſſimus. non enim fallaciis ac dolis furtim ille ad ſe nos allicit, falſis promiſſis imbuit, in fraudem illicit; ſed nihil ab eo incidit nobis mali, quod non ille antea denunciaverit. clamat, ſe eſſe deceptorem, vafrum, mendacem; admonet, ne quidquam ipſi credamus; nam ſubleſtam ſuam eſſe fidem, neque alia tam ſibi inſtructa eſſe in corde conſilia, quam quomodo nos dolis, machinis, fallaciis, præſtigiiſque decipiat. Omnino, nulla nobis melior Dei diligendi ratio ſubjicitur, quam ſi demus operam, ut aliquem ejus ſuavitatis guſtum percipiamus.

mus. Multum Augustinus temporis, multum operæ studiique, in illa tam obscura tamque difficili, de Deo ejusque natura, quæstione consumpserat, nec minimam ejus cognitionem fuerat assecutus; nihilo tamen magis se ad eum diligendum adigi, attrahi, impellique sentiebat: at, ubi primum cœpit in ejus se consuetudinem insinuare, ejusque suavitatis fructu potiri, ita eum dilexit, ut vix quidquam in amore inveniri possit ardentius; eaque affectus est voluptate & gaudio, in fastidiendis abjiciendisque rebus illis, quarum tanto antea amore studioque tenebatur, ut diceret, Quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum! &, quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Alterum, quod hoc pacto, quo inter Deum & nos convenit, continetur, illud est, ut, quod proprium est nostrum, odio prosequamur. At potest videri, hoc pactum, iniquitatis non parum habere. nonne longe ab jure & ab æquitate discedat, qui postulet, sua omnia diligi, quæque sunt in altero, odio fastidioque haberi; qui alterum sua se voluntate arbitrioque abdicare compellat, contra, quidquid ipsi, qui imperat, in animum incidat, amplecti ac velle? At fortasse justa hæc querela, si quid in nobis boni inveniretur. atqui, ut, quæ sunt in nobis, omnia perquiras, nihil invenies præter ea, quæ, divini numinis impulsu, Augustinus, in codice sacrarum literarum scripta, perlegit. qui, conversioni suæ proximus, cum se abjecisset in herba, ac sub arboris, nescio cujus, umbra jaceret, vox, ejus pervenit ad aures, tanquam puellarum, canentium, Tolle lege, tolle lege. qua voce admonitus, sumpto in manus sacro divinarum rerum

volumine, casu incidit in eum locum, ubi Apostolus Romanos, ad quos scripserat, admonet, ut tenebris pulsis, ac toto cælo luce diffusa, tanquam in die, honeste ambularent, non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione. Hæc sunt illa egregia atque præclara, quibus nos instructos ac completos invenias; commessationes, ebrietates, in lectulis delicatis ac mollibus ocium & quies, impudicitiæ, jurgia, invidiæ, obtrectationes. at, hæc nostrum ad se amorem attrahent? hæc nostra studia detinebunt? hæc nos pigebit amittere? Sed duæ præsertim causæ, nostrum ab illis odium avertunt. primum, inimicitiæ acerbæ & graves, quæ suscipiendæ à nobis sunt, cum carnis illecebris & mundi blanditiis, quibus veremur ut possimus obsistere, si sint cum illis bella gerenda. etenim hostes sunt potentissimi, ad dimicandum prompti; bellum longum, atrox, acerbum: nos copiis ac viribus longo intervallo inferiores; quas si hostibus velimus opponere, cum iisque manum conserere, nobis necessario sit cadendum ac pereundum in prælio. Nimis vera sunt isthæc, si nostris opibus ac copiis sit decertandum: nam necessario succumbamus oportet. sed audite, quid Leo Magnus dicat; atque animos sumite. Cum Deo pacem, gratiæ ipsius serviendo, firmemus; ipse pro nobis omnia bella conficiet; ipse, qui dedit velle, donabit & posse. ait enim, in legibus, ex fœdere inter nos & Deum icto, statutis ac dictis, hanc in primis contineri, ut, quæcunque bella sint gerenda, ille sine ullo nostro labore periculoque conficiat. Tot adolescentuli, tot puellæ, tot alii fere innumeri, qui se à

libidi-

libidinibus obſtringi non ſunt paſſi, ſed contra eas acriter vehementerque pugnarunt, ſuiſne viribus tam infeſtum hoſtem debellarunt? Quaſi iſti & iſtæ, idemmet Auguſtinus ait, in ſe ipſis potuerint, & non in Deo ſuo. quorum exemplis confirmatus, id, quod antea fieri poſſe negabat, non ſolum fieri poſſe, verum etiam, nihil factu facilius eſſe, cognovit, quam, Deo juvante, cupiditates noſtras, rationis catenis obſtrictas, in poteſtate habere: ac vix ſe totum Deo permiſerat, cum, divina ejuſdem manu, ſenſit, ab arce cordis ſui, hoſtem, à quo dominatu regio premebatur, abreptum, foras expelli, ſeque in libertatem vindicari, ut totum ad Dei arbitrium fingeret, neque quidquam nollet, quod ille vellet, neque vellet quod ille nollet. atque ita cum Deo loquebatur: Dextera tua, Domine, à fundo cordis mei, exhauriens abyſſum corruptionis; & hoc erat totum, nolle quod volebam, & velle quod volebas. Ratio, cur plerique, à tentationibus oppugnati, demittant animos, ſeque ab iis vinci expugnarique permittant, ea eſt, quod vires ſuas ante oculos ſibi conſtituunt, neque pacti, quod pepigit cum ipſis Deus, fiducia ſubnixi, ſigna cum hoſtibus conferunt, hoc eſt, Dei ipſius copiis opibuſque decernunt; qui Deus, ſua ex pactione, noſtra omnia ad ſe bella recepit. quid mirum eſt igitur, ſi ſtatim deditionem faciamus, ac ne hoſtis quidem aſpectum ferre poſſimus? Da te, inquit Auguſtinus, Deo; fidem illi habe. quid ſtas & non ſtas? projice te in eum; noli metuere; non ſe ſubtrahet ut cadas. Alterum, quod rebus noſtris, ne ab illis odio abalienemur, addictos alligatoſque nos habet, levis quædam ac nugatoria res eſt, & quaſi tenue quod-

quoddam ſubtegmen, quod diſſolvi ac dirumpi nullo negocio poſſet, verum magnam ad nos retinendos vim habet. cujuſmodi erant illa, quibus implicabatur Auguſtinus; qui, Exiguis tenebar, inquit, ſed tenebar tamen; retinebant me, nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ. At, quænam erant iſthæc? Dimittis nos, & à momento iſto non erimus tecum; & à momento iſto non licebit hoc & illud ultra in æternum. Atq; iſtuc etiam contingit in eo, cui, cum jam fixum ac deliberatum ſit, converti ad Deum, levia quædam ac nugatoria ſeſe objiciunt, quæ id, quod bene cogitavit, factis perſequi non ſinunt; atque ita ſecum agit, & tanquam fortunas ſuas deplorat atque conqueritur: Ergo mihi poſthac, via illa, iter facere non licebit? ergo me poſthac nemo in illis regionibus conſpicabitur? ergo amicitiam illam tam arctam, tam caram, momento pene temporis dirimam, ac non potius, quandoquidem deſerenda eſt, paulatim diſſuam? ergo in perpetuum domo illa carebo? atque ejuſmodi alia meditatur; quæ nugæ ſunt meræ, ac nugæ nugarum. Verum, hæ nugæ ſeria ducunt. nam ædificium ſpirituale, recens inſtructum, diruunt atque proſternunt. quod in pariete, nuperrime facto, intelligi poſſe, Gregorius docet; quem, dum adhuc eſt eſt madidus, quilibet funis, vel tenuis, labefactare, & ad terram ſternere valet; at, ubi, temporis intervallo, lateribus ſeu lapidibus, calcis ope, inter ſe arcte conglutinatis atque conſtrictis, ſe paravit in firmitatem, jam ille ſiccus & validus, arieti aliiſque bellicis tormentis obſiſtit, neque ita facile dejici poteſt. ac prudenter, ut omnia, idem auctor nos admonet, ne

pecca-

peccatorem, modo converſum, ad eas res procurandas adhibeamus, in quibus peccavit: nam, fieri poſſe, ait, ut ille, ex conſuetudine, quæ eſt altera quaſi natura, nullo contrario uſu plane adhuc abolita, rurſus ſuum in ingenium immigret. Itaque, quibus libido imperavit, non ſtatim eſt mulierum mandanda cuſtodia: quos pecuniæ cupiditas, in re facienda, præter modum ſolicitos occupatoſque detinuit, non ſunt ad rei pecuniariæ negocia protinus adhibendi: quos ambitionis æſtus abſorbuit, non ſunt illico in principum virorum aulas, ad negocia gerenda, mittendi. quod, involucris quaſi quibuſdam involutum atq; obtectum, Moyſes tradere voluiſſe videtur, cum dixit: Non operaberis in primogenito bovis, & non tondebis primogenita ovium. nam, ſi integumenta removeas, hanc in illis ſententiam conſtructam, tanquam nucleum in nuce, latere reperies; nimirum, non eſſe eos, qui, tanquam modo geniti infantes, in Dei filiis, atque adeo ovibus, numerari cœperunt, in iis ſpiritualibus operibus exercendos, quæ ſunt robuſtioris ætatis. Et quanquam Gregorius aliam Moyſis verbis ſubeſſe ſententiam velit, non incommode tamen eadem applicari ad id, quod dicimus, poſſunt. Atque hæc habui, quæ, ex Auguſtini converſione excepta, breviter vobis exponerem.

FINIS.